Digitized by Google

Digitized by Google

OPERE VARIE

DI

GIACOPO STELLINI

C. R. S.

VOLUME IV.

CONTENENTE LEZIONI DI FILOSOFIA MORALE.

Τέχνη δ' ἀμφιλαφὴς οὔ τις πόσον.
Callim.



IN PADOVA. MDCCLXXXIII.

NELLA STAMPERIA PENADA.

Con Lic. de' Sup.

Digitized by Google

ANTONII EVANGELII
E Congr. Somasch.

PRAEFATIO.

CVm Stellinianam Ethicen innumera pene in membra diſcerptam ſparſamque ſuperioribus annis colligeremus, in unum quaſi corpus ſuis abſolutum numeris redacturi, contigit ut in quaſdam aliquando lucubrationes incideremus, quæ quoniam ad inſtitutum noſtrum minime pertinebant, rejectæ a nobis ac ſepoſitæ ſunt. Ac nonnullas quidem iccirco repudiavimus, quod cum auctor vel au-

Digitized by Google

ditorum ſatietati ac faſtidio occurrens, vel loci conſuetudini ſerviens nova interdum aliqua poſtulanti, vel ſatis denique ſibi facturus, qui inſidentis ſibi in mente ſpeciei cujuſdam undique perfectæ excellentiam numquam ſe plane aſſecutum putabat; iterum, tertio, ac ſæpius iiſdem de rebus diſſeruiſſet; licebat quidem nobis unam aliquam e multis lucubrationem ſeligere, quam in Ethicæ libros inferremus, omnes autem inferre non licebat. Erant vero aliæ, quas in uno eodemque opere conſiſtere argumenti diſſimilitudo non vetabat; at vetuit ordinis ratio, cujus ad leges cum auctor ſapientiſſimus editos ab ſe libros quam accuratiſſime exegerit, nobis item nihilo minore cura ii fuerunt exigendi, qui parente orbati ſuo noſtram quodammodo in fidem ac tutelam conceſſerant. Quare ſi quas ille acroaſes aut nullo, aut laxiore cum ceteris quaſi vinculo conjunctas reliquiſſet, nos ſatius eas duximus prætermittere, quam invitas in aliarum

ſo-

ſocietatem conjiciendo, operis pulchritudini officere, quam tum demum rebus cumulatam omnibus fore putavimus, cum partium, ex quibus opus ipſum conſtaret, ea eſſet (*a*) ſeries & continuatio, ut alia ex alia nexa, & omnes inter ſe aptæ colligatæque viderentur.

Quæ tunc temporis prætermiſſa a nobis ſunt, ea, licet nulla fere ſe mutuo ſocietate contingant, in unum tamen coacta librum, qua in re veteres multi tum Latini ſcriptores tum Græci ſuo nobis exemplo præivere, nunc edimus in lucem. Conſilium autem hoc noſtrum ab intelligentibus exiſtimatoribus magnopere probatum iri confidimus. Quibus enim virtutibus ea de moribus ſcripta commendantur, quæ hactenus prodierunt, earum in his nullam deſiderabunt. Idem in utriſque multiplicis exquiſitæque doctrinæ apparatus, idem orationis nitor, eadem gravitas, ſubtilitas,

(*a*) Cic. de Nat. Deor. l. 1.

copia. Illud tamen in mentem venit ſubvereri, ne id mihi aliqui dent vitio, quod ea in medium afferam, de quibus in Ethicæ quoque libris diſputatur, rati videlicet, quæ nunc profero, non admodum ab olim editis diſcrepare. Verum ab his, ſi qui erunt, peto, ne prima ſe fronte decipi ſinant, ſed lucubrationes ipſas perlegant: id enim ſi fecerint, de iis uſurpari merito poſſe intelligent Terentianum illud:

Non ita diſſimili ſunt argumento, ſed tamen
Diſſimili oratione ſunt factæ ac ſtilo (*b*).

Quæ mihi res ad illas e tenebris evocandas ſtimulos addidit acriores, quippe cum iis in lucem prolatis viderem novum quoddam laudis genus Stellino acceſſurum. Magnum profecto quiddam eſt de rebus iiſdem non iiſdem verbis ac ſententiis agere; idque ipſum non ſemel, ſed ſæpius; non multo, ſed nullo labore efficere. Cave

(*b*) In Prolog. Andriæ.

ve enim putes, ſi quando ſcribere quidpiam Stellinus pararet, opus ei fuiſſe magnam librorum vim pervolutare, acrive ac diuturna mentis contentione niti. Nihil omnino intererat, utrum paratus mandare aliquid litteris aggrederetur, an imparatus. Cum enim hærerent illi in memoria quæcumque legerat (ita autem multa legerat, ut nemo plura), habebat ſemper in promptu magnam atque incredibilem quamdam rerum copiam, quæ numquam uberem de re quavis differendi materiem deeſſe homini pateretur. Quibus undique collectis opibus etiamſi caruiſſet, habebat tamen intus in ſe ipſo, unde inexhauſtas, quotieſcumque opus eſſet, divitias promeret, excellens videlicet ingenium ac pene divinum. Quemadmodum enim terra, minutiſſimo in gremium excepto ſemine, involutas ac deliteſcentes in hoc particulas ita fovendo evolvit explicatque, ut herbeſcentem ex eo primum viriditatem, deinde flores, tum fructus eliciat; ſic Stellino, qui hoc ha-

bebat, ut res quaslibet, quæ ſingulæ non uniuſmodi ſunt, ſed multiplices, atque aliam aliamque ex variis quaſi locis ſpectatæ ſui ſpeciem exhibent, luſtrare undique poſſet, penituſque totas perſpicere, modo rem illi aliquam objeciſſes, quantumvis jejuna exiliſque videretur, infinita propemodum rerum vis ac varietas ea de re ſcripturo ſuppetebat. Quæ de Stellino dum dicimus, haud ſane veremur, ne iis ſimilia videamur effutire, quæ ipſum de ſe jactare ſolitum accepimus Leontinum Gorgiam (*c*), qui paratum ſe ad omnia profitebatur, de quibus quiſque audire vellet. Hujus enim ſi dicta res refellit, noſtra numquam non comprobavit. Nam quod nos de ſcribente Stellino tradimus, id de loquente ii omnes ſunt experti, quibus fuit cum homine colloquendi copia: quorum cum plerique ſuperſtites adhuc ſint, omnem a nobis poſſunt vanitatis ſuſpicio-

nem

(*c*) Cic. l. 1. de Oratore.

nem amovere. Quocirca parum oppido Stellinus abfuiſſe cenſendus eſt ab Archiæ laude, qui, teſte Tullio (*d*), cum interdum magnum numerum optimorum verſuum de iis rebus, quæ tum agerentur, dixiſſet ex tempore, revocatus ſolebat eamdem rem dicere commutatis verbis atque ſententiis. Hoc tamen in hiſce lucubrationibus Stellinum feciſſe cum dico, id nolim ſic accipi, ut nihil prorſus, quod in earum aliqua inſit, in alia reperiri debere exiſtimetur. Ecquis enim id ab eo jure poſtulet, quod fieri vix poteſt? Non enim oratoriæ modo artis, ſed rerum pene omnium ignarus ille ſit, qui, cum id a Tullio videat de Archia prædicari, nihil eum putet veritatis fines tranſgreſſum, cum præſertim ejuſmodi res agatur, de qua, neque ſi maxime cupias, quidquam poſſis certo affirmare. Neminem igitur futurum arbitror, qui tam levi de cauſſa hujuſcemodi

(*d*) In Orat. pro Archia poeta.

di ſcripta non ſatis fuiſſe digna exiſtimet, de quibus in vulgus emittendis cogitarem. Quod tamen ſi quis fecerit, haud equidem magnopere laborabo. Nam qui me culpaverit, idem veteres illos culpaverit, qui duos Ciceronis de Inventione libros, tres de Oratore, Oratorem, Brutum, Oratorias Partitiones, ac Topica ad nos uſque tranſmiſere. Quibus quidem in libris, cum illud fere unum univerſi ſpectent, ut ad eloquentiæ laudem contendentes recte inſtituantur, tametſi plura legentibus occurrant inter ſe ſimilia; tantum tamen abeſt, ut eos hanc ob rem eruditi viri faſtidiant contemnantque, ut etiam magni æſtiment, in deliciis habeant, ſibique vehementer gaudeant, quod omnes ex præteritorum ſæculorum jactationibus ac procellis incolumes ad nos enaverint.

Quia vero quæ de Morali, ſic enim appellant, ſenſu diſputatio eſt, non ita ab ea diſcrepat, quæ idem pertractans argumentum in libro ineſt Ethicæ Stellinianæ quin-

to

to (*e*), ut videri in eam poſſint apte cadere quæ ſunt hactenus a me dicta; ideoque mirabitur fortaſſe quiſpiam cur illam edendam cenſuerim; iccirco monitos lectores volo, id propterea feciſſe me, quod in hac lucubratione ſenſus hujuſce non modo, quod in Ethica factum eſt, deſcriptio exhibetur, inanitaſque retegitur, ſed hiſtoria inſuper quaſi quædam contexitur. Neque enim unius tantum hominis inventum ſenſus moralis eſt, ſed multi ad id conflandum commentum ſuam veluti ſymbolam contulere. Stellinus itaque rem a capite arceſſens quis illius prima jecerit fundamenta, quis hiſce ædificium quaſi ſuperſtruxerit, quis extructum amplificarit, expoliverit, ornaverit, docet, ſua cuique adjudicans. Quod cum plerique philoſophicarum rerum ſcriptores, Itali præſertim, ignorarent; ſi quando de moralis ſenſus auctoribus fuit illis dicendum, mirum

eſt

(*e*) Cap. 2.

eſt (*f*) quam varias in ſententias abierint. Operæ igitur pretium me facturum putavi, ſi hoc edito commentario quamdam veluti facem accenderem, quæ harumce rerum ſtudioſis præluceret, labique illos in poſterum non pateretur. Atque hactenus de primo diſputationum genere, quod eas complectitur lucubrationes, quæ de malorum & bonorum opinionibus, de intelligentia, de recta adoleſcentium diſciplina, de vulgari amicitia perfectæ anteferenda differunt, ac bina demum ſecundi Ethices libri procemia.

Quod vero ad alterum ſpectat lucubrationum genus, hæ, quemadmodum initio dixi, olim editas aut nulla aut parva admodum cognatione attingunt. Ac ſeptimo qui-

(*f*) Hujuſce rei locuples teſtis eſt vir egregius Andreas Draghettus, qui in adnotationibus ad ſuum *Pſychologiæ Specimen* Mediolani editum an. 1771. hæc habet: *Non ſatis convenit inter moralis ſenſus patronos, quinam præcipuus eiuſdem auctor habendus ſit: alius enim primas tribuit Lord Shafteſbury, alius Hutcheſonio, alius Humio &c. Illud videtur certum e Scotia aut Anglia opinionem hujuſmodi fuiſſe profectam.*

Digitized by Google

quidem loco poſita diſputatio in eo verſatur, ut doceat, nimis eloquentiæ Ariſtidem Quinctilianum tribuiſſe, qui cupiditatum in officio continendarum vim illi ac poteſtatem ineſſe cenſuerit. Quam Græci hominis ſententiam, alterius Græci item hominis, & quidem ſapientiſſimi Thucydidis auctoritate præſertim objecta Stellinus oppugnat, ac tamquam clavo clavum extrudit.

Quæ huic continens eſt diſputatio oſtendit beatum eſſe neminem poſſe, qui bonis quidem ceteris abundet omnibus, at amicis careat. Is etiam ab Ariſtotele (*g*) pertractatus locus eſt: verum ſi quis Stellinianam lucubrationem cum Ariſtotelea conferat, illam plurimum huic præſtare non diffitebitur. Non enim hæc modo Stellinus perfecit, ut quæ ſicce pro ſuo more tenuiterque Ariſtoteles ſcripſiſſet, ipſe læta quadam ubertate atque amplitudine tractaret;

quæ

(*g*) L. 9. Ethicor. c. 11.

quæ nonnullis infuſcata tenebris reliquiſſet, luce perfunderet; quæ non ſatis luculenter digeſſiſſet, pulchriorem in ordinem adduceret; ſed tam multa præterea addidit, tamque præclara, nihil ut reliqui feciſſe videatur, quod ad abſolutam propoſitæ quæſtionis tractationem pertineret.

Decima vero acroaſis in eo vertitur ut palam faciat quid propoſitum Plato habuerit in eo Dialogo, cui Lyſidi nomen eſt. Nam Platonis libri duo in genera (*b*) tribuuntur, quorum unum id attributum habet muneris, ut inſtituat; alterum, ut verum perveſtiget. Iam eorum, qui inſtitutionem ſpectant, alii in contemplatione verſantur, & naturales vel logici ſunt, alii actionem reſpiciunt, & morales ſunt aut civiles. Qui vero diſquiſitioni dant operam, hi etiam multas habent ſubjectas ſpecies, quas nihil eſt cur omnes ſingillatim recenſeam. Illud ſatis fuerit, ſi dixero, quoſ-

(*b*) Laert. l. 3. ſegm. 49.

quoſdam ex iis *μαιευτικοὺς* fuiſſe a veteribus appellatos, quod in iis Socrates obſtetricis quodammodo munere fungens (*i*), quæ excogitare ipſi per ſe adoleſcentes poſſunt ac veluti progignere, ea, injectis dubitationum initiis, tamquam doloribus quibuſdam partum præcurrentibus, paullatim eliciat; quoſdam autem *πειραστικοὺς*, ſive ex iis, quæ reſpondentur ab eo, qui quidpiam affirmat, ei contraria, quod affirmat, eruentes. Quod igitur ad Lyſidem attinet, ſi quis de hoc dialogo ferre judicium velit ex iis, quæ de eo docti quidam viri conſcripſere, is in contraria diſtractus, quam ſibi in ſententiam ſit eundum, prorſus ignoret. Illum enim e recentioribus Serranus ethicis, Claudius vero Florus (*k*) logicis dialogis annumeravit. Contra antiqui ſcriptores Thraſylaus (*l*), Laertiuſque Dioge-

(*i*) *Σωκράτης ἐνδιδοὺς ἀρχὰς ἀπορίων, ὥσπερ ὠδίνων, τοῖς νέοις ἐπήγειρε καὶ ἀνεκίνει τὰς ἐμφύτους νοήσεις. καὶ τοῦτο μαιευτικὴν τέχνην ὠνόμαζεν.* Plutarch. in Quæſt. Platon. ſub init.

(*k*) Diſſertat. in Platonem. (*l*) Apud Laert. l. 3. ſ. 56

genes (*m*) hunc uterque librum ad ſecundum pertinere genus arbitrati ſunt, quippe quem μαιευτικὸν uterque eſſe autumarint. At Stellinianam lucubrationem qui legat, is haud diu pendebit animi. Stellinus enim totam dialogi ſeriem paucis complexus, nihil in eo quidquam a philoſopho decerni, ita perſpicue declarat, ut quæ verba de Platone dixiſſe Socratem ferunt, cum ipſum hunc librum recitari audiſſet (*n*), Ἡράκλεις, ὡς πολλά μου καταψεύδεθ' ὁ νεανίσκος· *Dii immortales, quam multa mentitur de me adoleſcens!* eadem Plato, ſi reviviſcat, de Serrano, qui decreta ex eo dialogo multa exſculpſit, dicturus videatur. Quod vero Serranus ea Platoni affinxit, quæ nuſquam ſunt, id licet ineptum plane ſit, ferendum tamen quodammodo eſt, ſi cum iis conferatur, quibus ſuas in Lyſidem adnotationes concludit: ait enim Socratem πειραστικῶς diſputaſſe. Sane quis ferat, hominem in Plato-

(*m*) L. 3. ſeg. 51. (*n*) Laert. l. 3. ſegm. 35.

tone tamdiu volutatum vim ac notionem ignoraſſe vocabuli πειραστικῶς, quam nos paullo ante ex Ariſtotele (*o*) attulimus; tum vero neſciſſe in iis, quæ in utramque partem diſputantur, rem nullam aperte judicari? Multum profecto a Serrani levitate abeſt Florus. Nam etſi perperam feciſſe videatur, qui logicum eſſe Lyſidem dixerit; tamen, ſi hominis verba rite perpendantur, & ex ſermonis contextu æſtimentur, liquido conſtabit, eum non in ea fuiſſe ſententia, ut putaret logicum aliquod decretum in Lyſide ſtatui, ſed dialogi tantummodo ſummam reſpexiſſe, quæ potiſſimum in eo continetur, ut, ſi minus præceptis, certe exemplis doceat, diu multumque explorandas res ei eſſe, qui vera ſecernere a falſis velit.

In ea, quæ hanc excipit, lucubratione

(*o*) Πειραστικοὶ δὲ (λόγοι) οἱ (συλλογιστικοὶ ἀντιφάσεως) ἐκ τῶν δοκούντων τῷ ἀποκρινομένῳ. Ariſtot. lib. 1. de Reprehenſ. ſophiſtar. c. 2.

multas Stellinus videndas exhibet vitiorum ac virtutum formas ex voluptatis aut exiſtimationis ſtudio, opibuſque harum vel alterutri vel utrique addictis efflorescentes. Has autem formas, ne, ſi Theophraſti (*p*) ritu finxiſſet, in unum ea colligens, quæ vulgo uſuvenire mortalibus ſolent honorem aut voluptatem miſere depereuntibus; nemine propoſito, qui earum rerum veritatem factis ſuis comprobarit; eæ vel ex ſcriptoris magis ingenio, quam ex veritate expreſſæ viderentur, vel levius animos afficerent, quam ut inſidere in iis penitus poſſent, ex hiſtoria deprompſit. Exempla ſcilicet in medium affert illuſtrium virorum ita ad rem appoſita, nihil ut fieri aptius poſſit. Atque in hoc quidem prudentiæ & eruditionis, in eo autem ingenii luculentum edit ſpecimen, quod, re ſubinde ab exemplis ad differendi ſubtilitatem traducta, eorum, quæ narravit,

ſol-

(*p*) In Characteribus Ethicis.

ſollerter cauſſas ex humani animi penetralibus expiſcatur evolvitque : ut quiſquis ex rerum ſive abſtruſarum cognitione oblectamentum quærit, ſive ad vitam agendam conducibilium præceptione utilitatem, habeat unde expleatur.

In duodecima diſputatione docet Stellinus iccirco veterum ſe philoſophorum ſententias de vita & moribus ex principiis apta cujuſque propriis in ſeptimo Ethices libro expoſuiſſe, ut pateat primo, ſæpe philoſophos, cum verbis inter ſe congruant, re tamen valde diſſidere; deinde exhauſtas eſſe a veteribus eas compoſitiones omnes, quas principia morum ſeu vera ſeu falſa rationis humanæ viribus inveſtiganda aut fingenda ſuppeditare poſſunt. Atque ad primum quod attinet, id unico tantum exemplo confirmat, & res quidem ipſa pluribus non eget. Quod vero ad alterum ſpectat, majus hominem quiddam animo concepiſſe crediderim, quam quod reapſe præſtitit. Quoniam enim ea omnia

ſummatim capita attigit, ex quibus veteres philoſophi ſuam de moribus doctrinam nexuere; quod de uno fecit, idem videtur de reliquis omnibus ſingillatim capitibus facere voluiſſe, ut ſcilicet in medium afferret recentiorum hominum ſententias, quarum cum veteribus facta contentione, eas ex antiquitate depromptas oſtenderet. Equidem homini pene ſubiraſcor, quod cum eſſet unus omnium ad hanc rem maxime idoneus, quippe cui veterum juxta ac novorum philoſophorum ſcripta explorata erant omnia, in ipſo incepti ſui limine ſubſtiterit. Iuvaret enim plurimum multos cernere graculos, qui ſeſe pavonum pennis ornaſſent, eoque ornatu induti fucum imperitis feciſſent, tandem furtivis nudatos coloribus ſuam prodere inopiam, ac ſpectantium riſui ſibiliſque objici. Debetur hæc profecto iſtiuſmodi nebulonibus pœna: ſiquidem ut honeſtum eſt ingenuique pudoris plenum fateri, ſi cui aliquid debeas; ita nihil turpius liberoque homine in-

indignius , quam ſi quis in partam ſibi ab induſtrio quopiam viro ſuis laboribus ſuoque ingenio laudem invadat , fucorumque more , qui , ut eſt apud Virgilium (*q*), immunes ſedent aliena ad pabula , impendio ſuo nullo alienis fruatur bonis. Quamquam non eſt quidem cur de Stellino tantopere queramur , quod inchoatum opus non perfecerit. Quam enim hic provinciam vix dum ſuſceptam conſilii quaſi pœnitens depoſuit , eam in Ethicæ libris toties cepit , quoties capiundæ occaſionem nactus eſt.

Lucubratiunculam hanc proxime ſequitur epitome ejus Platonis libri , qui Philebus inſcribitur. Erunt fortaſſe , qui genus hoc ſcripturæ leve quiddam , nec ita magna laude dignum iccirco exiſtiment , quod ejuſmodi qui labores ſuſcipiunt , iis nihil ſit de ſuo afferendum , ſed dumtaxat fuſe ab aliis dicta breviter ſtrictimque dicenda. Sed

 hi

(*q*) Georgic. l. 4.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

hi velim cogitent, Philebi auctorem Platonem eſſe, eum videlicet philoſophum, cujus ſcriptis tum acute inventa, tum dicta ſubtiliter, tum vero Socratica in contrarias partes differendi ratio, tam cæcam ſæpe noctem offundit, ut ægre admodum non pluribus modo in locis germana hominis ſenſa pervideri, ſed de ipſa quandoque rei ſumma judicari recte poſſit, diſpicique quorſum tandem ille ſpectaverit. Quod cum ex eo dialogo ſcire licet, de quo nuper verba fecimus, tum etiam ex aliis nonnullis, de quibus ſua in Ethica Stellinus diſſerens (*r*), non Serrani modo, ſed Ficini etiam, Scaligeri, Clerici, Dacerii, aliorumque præſtantium virorum ſomnia retegit, qui omnes nubem interdum pro Iunone amplexati, quam longiſſime aberrarunt a philoſophi mente, & Græcarum litterarum, Platonicæque ſapientiæ expertibus ſua ipſi commenta, tamquam puros pu-

(*r*) Vide Præfat. ad lib. Ethicæ 3.

putoſque Platonis ſenſus venditarunt. Quæ cum ita ſint, gratiæ profecto ingentes habendæ Stellino ſunt, quod id ſibi ſumpſit negotii, ut Philebum paucis complecteretur. Cum enim ingenio polleret acerrimo, omnique doctrina apprime erudito, &, quod caput eſt, Platone jam inde ab adoleſcentia mirifice delectatus plurimum in ejus verſandis libris operæ ſtudiique collocaſſet; metuendum profecto non eſt, ne philoſophi ſenſa non rite aſſecutus ſua nobis pro alienis obtrudat. Neque vero iis ſe finibus Stellini induſtria continuit, ut ſatis habuerit Platonicam hanc diſputationem in pauca conferre. Nam & obſcuris ſæpe locis adhibuit lucem vel ſuo ipſe marte, vel antiquorum interpretum, ipſiuſque adeo Platonis, qui eadem pluribus ſæpe in libris tractat, ſubſidio advocato; & ſi quid aliquando animadverſione dignum offendit, lectorem ſuum tantiſper morari, cum eoque id communicare non prætermiſit. Hujuſce generis ea ſunt, quæ adnotavit, ubi

quam

quam boni naturam Socrates ſtatuerit, indicat. Nam cum neſcius non eſſet, diſputari a multis, omnia ne illa, de quibus diſſerit, in medio reliquerit Plato, an aliqua habuerit decreta, magnum eorum ſententiæ momentum addit, qui poſtremum hoc contendunt. Quæ vero de Philebi epitoma a me dicuntur, ea & de Lyſide dicta volo: eumdem enim morem utrobique Stellinus ſervavit, nihilque quidquam præteriit, quod aut ad Platonem declarandum conduceret, aut noſtra ſcire intereſſet.

Vltimo loco cauſſam quærit Stellinus, cur Ariſtoteles, cum de voluptate libro Ethicorum ſeptimo multis diſputaverit, de eadem in decimo rurſus diſſerat. Res profecto ipſa per ſeſe (dicam enim quod ſentio) tanti non erat, ut ejus inveſtigandæ labor ſuſciperetur. Sed cum illud magnis viris tribui ſoleat, ut nihil temere feciſſe putentur, ſed omnia ratione & conſilio; eapropter quicumque Ariſtotelis libros de mo-

moribus explanandos ſuſcepiſſent, faciendum ſibi eſſe exiſtimarunt, ut in philoſophi mentem inquirerent. Ne itaque aut inductæ jampridem conſuetudini repugnare Stellinus velle videretur, philoſophi & ipſe interpres & explanator, aut nihil afferre novi poſſe; ſuam ne in tantula quidem re diligentiam induſtriamque paſſus deſiderari, poſtquam illuſtrium quorumdam virorum ſententias attulit, his excogitatam ab ſe ſapienter, ut ſolet omnia, rei expediundæ rationem ſubjicit.

Hæc mihi, quæ erant Stellini reliqua de moribus ſcripta edituro, præfari viſum eſt. Atque ex his, opinor, id facile apparebit, me, cui propoſitum illud eſt, ut populari meo optime, dum viveret, de me merito gratiam referre ſtudeam pro immortalibus ejus in me beneficiis, quando aliter non licet, famam ipſius gloriamque amplificando, ipſum mihi conſtare. Etſi enim qui in manibus ſunt morales hominis libri tantum illi videantur

ce-

Digitized by Google

celebritatis allaturi, ut vix majus aliquid expectari poſſit; tamen ex iis etiam, quæ nunc evulgamus, non parum ei profecto laudis accedet.

Digitized by Google

Quid ſit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Plenius & melius Chryſippo & Crantore dicit.

Horat. Epiſt. 2. l. 1.

Digitized by Google

IACOBI STELLINI
LVCVBRATIONVM
ETHICARVM
LIBER SINGVLARIS.

Digitized by Google

LVCVBRATIONVM ETHICARVM LIBER SINGVLARIS.

CAPVT I.

Quo pacto opiniones bonorum & malorum, ſemel in animum illatæ, in eo penitus inſideant ac dominentur.

I. OPiniones illæ rerum expetendarum aut fugiendarum, quas a ſenſibus inchoatas, atque imaginatione perfectas & abſolutas, intus aſſervamus, ſi qua forte mentis agitatione depromptæ, ſive pulſu exteriori commotæ prodeant, excitari debet in animo ſenſus, & motus in corpore quidam extraordinarius, qui diverſus eſt pro varia cujuſque affectione, varia rerum indole, varioque reſpectu, quem ad quemque res habent, quarum aut extrinſecus obla-

Digitized by Google

ta ſpecies, aut animi voluntate & nutu revocata & educta ſit. Nam quidquid ita comparatum eſt, ut antecepta quadam opinione conciliatus ei quis, aut alienatus ab eo ſit, illud ab animo recognoſci porro non poteſt & retractari, quin animum aliqua ſive hilaritate quaſi diffundat, ſive triſtitia quodammodo contrahat; neque lætari animus aut angi poteſt, quin corporis habitus immutetur, aliuſque ſuccedat, qui cum animi ſtatu novo congruat, eique ſubſerviat. Siquidem ea præcipue conditione corporis animique fœdus inſtitutum a natura fuit, ut numquam pars altera deſerat alteram, aut ab ea deſeratur; ſed vicem reddat utraque repoſcenti, magnaque conſpiratione atque conſenſu uno non opportunam magis operam, quam fidelem, ad utilitatem communem conferat. Ea vero motuum conjunctione viriumque concordia confirmari debet ac prorogari ſtatus is animi, quicumque ſit: & cum nihil in eo ſtatu ſive læto ſive moleſto diſcrepans ac repugnans animadvertatur, is unice convenire videtur; animumque ſibi quadam illecebra conciliat, ac jucunde detinet. Quare cum animus ex ipſa moleſtia ea, qua demittitur aut aſpere tangitur, obverſante mali cujuſpiam opinati ſpecie, ſua-

ſuavitatem quamdam exprimat, ac dolorem eum eſſe juſtum ac debitum ipſe ſibi perſuadeat, aliiſque perſuaſum eſſe debere cenſeat; ea de cauſſa, niſi qua nova cogitatione motu corporis apto corroborata ſeſe in animum ingerente depellatur, de ſtatu illo neque dimovet ipſe ſe, neque facile dimoveri ab alio patitur: immo vero, ſi forte quis accedat id experturus, palam eum averſatur ac reſpuit, quippe quem injuſte facere, vimque ſibi præter æquum inferre putet.

II. Quoniam autem ad ſenſum hunc voluptatis aut ægritudinis ſymbolam una ſuam corpus animuſque conferunt, ideo quo tum illa boni ſeu mali opinio, quam affert animus, altius inſidet, ac boni malive gravioris ſpeciem inductam habet; tum corpus eſt aptius ad permotiones eas, quibuscum voluptas aut ægritudo conjunctæ ſunt; eo vehementius utraque intenditur, ac diutius inhæreſcit, perinde tamen ut indoles ac natura diſſimilis affectionis utriuſque ſinit. Nam fere penitius in animo diutiuſque triſtitia permanet; latius autem effunditur, ociuſque lætitia deferveſcit. Cum enim partium corporis intimarum vires exultans hæc redundanſque latius diſpergat, effuſiuſque prodigat; illa contra revo-

cans ipſa ſe recedenſque ſparſas in anguſtum colligat, & collectas ad uſus vitæ neceſſarios parce reſtrictèque promat; altera, viribus neceſſariis exhauſtis ac diſſipatis, brevi tempore defatigata reſidet ultro ac deficit; altera, repreſſis & reſervatis, quippe quæ paucis indiget, eo ſerius defuturis quo parcius inſumptæ ſunt, ad multum tempus durare poteſt.

III. Atque ad opinionem quidem altius inſerendam, & eorum, quæ prodeſſe nobis aut obeſſe opinamur, ſpeciem amplificandam cum multa concurrant; præcipua tamen vis eſt ipſa imaginandi, quæ cum magna ex parte pendeat a corpore, ab eo varie modificata temperaturam ejuſdem ſequitur. Quare vel clara aut confuſa, vel debilis aut efficax, vel ampla & ferax, vel anguſta ſterilisque eſt. Claritas oritur ex humorum puritate ad motum ac ſenſum alacri, conjuncta cum apta diſtinctèque diſpoſita ſtructura cerebri; vehementia roburque pendet ex eorumdem humorum ubertate & copia; fœcunditas & amplitudo manat ex magnitudine cerebri, quo continentur imagines. Quæ vero vim augent imaginandi, ſunt ea pariter ad motus animi vehementiores excitandos accommodatiora,

ne-

neque alterum umquam ab altero diſſociari ſolet. Cujus eſt igitur ſanguis purior uberiorque, ac fibræ ſubtiliores atque mobiliores, ejuſdem eſſe pariter imaginatio vividior acriorque debet: ob eamque cauſſam rerum hilaritatem afferentium atque optabilium objectas ſpecies augere mirum in modum atque ornare ſolet; eaque facile fulgore quodam involvere, quæ labem iis aliquam inferre poſſent; ſeu diſſipare quidquid aliunde iis acceſſerit incrementi commentitii, ſeu fucum iis inductum eluendo, quidquid eſt inſiti vitii retegere. Cui contra craſſior & impediens ipſe ſe ſanguis, ac fibræ duriores ægreque mobiles obtigerunt, ejus eſt anguſtior imaginatio, lentiuſque commovetur: ſed commota diu viget, cum de ſtatu difficile deturbari queat: quocirca quæ bona ſunt, ea longe contractiora; quæ mala putat, ea numquam non immodice dilatata cernit; non ſecus ac ſi quiſpiam nocte ſublustri contueretur umbras eas, quæ a corporibus undique varie diſpoſitis, & varia forma præditis, in quæ forte lumen incidit, emiſſæ miras inſolitæ magnitudinis homini meticuloſo figuras exhibent. Quo fit, ut quemadmodum ad ampla & læta comparatus, cum quaſi perpetua verſetur in

luce, nihil non illuminatum ac pulchrum videt: ſic ad anguſta ac triſtia proniori, tamquam undique tenebris implicato, deformata videntur ac nebuloſa omnia. Qui fibras denique laxiores & molliores, & ſanguinem æquo dilutiorem ſortitus eſt, omnia remiſſius imaginatur; in eoque nulla boni malive eximii inſignita neque altius imprimi forma, neque diutius inſidere poteſt. Quamobrem incurſu rerum extrinſecus oblatarum leviter admodum impellitur; eoque reſidente, ſublabitur continuo, ac rurſus hebeſcit & languet in otio.

IV. Quæ vero vim augent & intendunt imaginandi, vel remiſſam aut anguſtam reddunt, ad motus ea pariter excitandos acriores aut ſegniores, leniores aut obſtinatiores accommodata ſunt; alterumque numquam ab altero diſſociari ſolet: quare qui recte norit alterutrum, ambo noſſe dicendus eſt. Quoniam autem ut ex eadem utrumque cauſſa manat, iidemque gradus & proceſſus utriuſque ſunt; ita pariter connexum utrumque eſt, & multa redundant ex altero in alterum; ideo ſicut opinio boni cujuſpiam antecepta ſponte in animo exſuſcitata corpus excitat, ipſumque majus ad res eas gerendas facit, quas imbibitæ opi-

opinioni quiſque peropportunas eſſe prænoverit; ſic viciſſim corporis agitatio aliqua, temere fortuitoque illata rei cujuſpiam incognitæ pulſu improviſo, commovet opinionem ei ſimilem, quacum ipſa ea corporis agitatio conjungi antea conſuevit. Ac ſi conjuncta denuo recurrit cum recenti opinione hac, eam altius infigit in animo; neque poſtea, ſi ſæpe renovata ſit, umquam deſerit, aut obliterari ſinit. Si forte igitur accidat, ut corpus, cum pulſu externo cietur, ita ſit affectum, ut affici ſolet, cum gaudet aut dolet animus; ea res, quæ in ſenſus incurrens affectionem hanc in corpore nanciſcitur, habetque comitem, numeratur in bonis aut malis; eaque opinatio in mente penitus inhæret, atque inveterat, niſi contrario motu comitante rem eamdem, ubi rurſus objecta ſit, in tempore depellatur, aut aperte repugnet opinionibus iis, quæ jamdiu quaſi civitate donatæ pari cum veris & æquo jure quodammodo vivunt. Atque ex eo fonte plerumque manant averſationes illæ vel propenſiones, quibus alienatos a rebus quibuſdam nos, aut eiſdem conciliatos ante deprehendimus, quam quidquam in ipſis animadverſum fuerit, quod incommodum nobis aut utile futurum ſit. Quarum quidem

af-

affectionum quia cauſſa latet, aut afferri nulla poſſe videtur, hæ quodammodo genus ementitæ naturalium in cenſum irrepere ſolent, facile nobis id patientibus, ac libenter etiam aſſentientibus, quippe qui nequitiæ noſtræ ac inertiæ paratum expeditumque perſugium occludi nolumus; & noſtra magni referre putamus, aliquid eſſe, cui quo jure quaque injuria, ſi quid aut ſtulte opinamur, aut perperam appetimus, attribuatur, ut oblata forte viſa perveſtigandi penitius, & aſſenſionem appetitionemque diutius ſuſtinendi, labor is eſſe videatur, a quo ſine culpa ſuperſederi poſſit, cum aut ſupervacaneus aut irritus futurus ſit. Quo fit, ut affectiones animi vitioſas fere homines ab ſe dejicientes in naturam exonerare ſoleant.

V. Quemadmodum autem inſita deſidia factum eſt, ut errorum noſtrorum originem refundamus in ipſam naturam, quæ neque in poteſtate noſtra ſita eſt, neque nos umquam deſerit, cum natura cujuſque ſit illud ipſum, quod quiſque ſumus; ita viciſſim, eo principio conſtituto, deſidia ipſa perpetuatur, augetur, & nihil ea quidquam ſibi timet in poſterum: cum quod antea videri potuiſſet imprudenter inconſiderate perverſe factum, id poſtea, non ſuadente modo, ſed & impel-

pellente natura, fieri exiſtimetur. Nam in ea re, cujus omninò cauſſa nulla cernitur, obſcuritas ipſa monet eſſe perquirendi, judiciique ſuſpendendi, locum: id autem fidenter admittitur, cujus eſſe certam compertamque cauſſam perſuaſum ſit; & defendi poſſe non dubitatur, quidquid ea poſita cauſſa ratiocinando recte deducitur. Quare minime mirum eſt, ſi tanta colluvies errorum in vitam effuſa ſit, & qui velit tam fœdos dominos de mentibus hominum dejicere, tamquam poſſeſſionem jampridem occupatam movere qui cogitet, iniquus putetur, & qui conetur, ſeditioſus ac turbulentus. Senſus enim eos intulerunt, imaginatio propagavit, & locum addixit cuique ſuum; motus animi corporis univerſi copiis inſtructi communiunt, augentque viribus, animoſque ſufficiunt; ignavia mentis omni ſollicitudine ac metu liberat; demum ratio patrocinio ſuo defendit oblita ſui, quippe quæ commodius arbitratur, eos armis a ſenſibus, imaginatione, motibus animi, ſocordiaque ſubminiſtratis ſine labore ullo tegere, quam ſuis non ſine aliqua difficultate promendis evertere, tanta conſpiratione virium obnitente.

CA-

CAPVT II.

De Intelligentia.

I. INtelligendi facultas ceterarum omnium præſtantiſſima eſt, in eaque præſertim ſeſe divina mentis virtus exerit, animique nobilitas & excelſitas eluceſcit. Nam inſidet in ea ratio, ſine qua nihil eſſet aliud humana vita, quam magna confuſio, ſeditioque turbulenta cupiditatum. Nam, ut inquit in Republica Epicharmus (a),

Ὁ λόγος ἀνθρώπους κυβερνᾷ, καὶ τρόπον σώζει μόνος.

Ratio mortales gubernat: ratio mores continet. Vt autem intemperati cæci præcipiteſque motus animi vim ſequuntur imaginandi, quæ permiſcet inter ſe licenter formas a ſenſu traditas, ac miris fingit refingitque modis; ſic intelligentia dux eſt voluntatis, quæ notionibus rerum perſpicuis explicatiſque regitur, ac regere debet cupiditates,

(a) In Excerptis Grotii.

tes, quæ confuſis excitantur viſis, animumque de ſtatu dejiciunt. Quippe, ut ait Epictetus (*b*), ſola facultas rationalis vim habet cognoſcendi ſemetipſam, quid ſit, quid poſſit, & quanti æſtimanda nobis obtigerit, & alias facultates omnes, quarum eſt nulli datum, ſeſe ut contempletur, ac tamquam aut ſinceram probet, aut adulterinam improbet. Idem rurſus (*c*), *Viſu*, inquit, *auditu*, *ipſa vita*, *vitæque adjumentis homini præſtantius aliquid a Deo tributum eſt*, *quod iis utatur*, *ea tamquam ad obruſſam exigat*, *&* *pretium cujuſque ſtatuat*. Porro ſcientiæ ratio ſedes eſt; immo nihil aliud eſſe ſcientia dicitur a Maximo Tyrio (*d*), quam firmitas rationis, quæ per eadem conſtanter & recta progreditur, cognata venatur, diſſimilia ſecernit, componitque ſimilia, propria conjungit, confuſa diſtinguit, ac ſeparat aliena: demum inordinata redigit in ordinem, & quæ parum inter ſe congruunt, apte quadrat, & accommodata efficit. Quocirca libro ſecundo Manilius id rationi tribuit, ut a vero neque aberret ipſa, neque abducat alios:

Nam

(*b*) Arrian. l. 1. c. 1. (*c*) Id. l. 2. c. 23. (*d*) Diſſert. 11.

Nam neque decipitur ratio, neque decipit umquam:
ac libro quarto vires ejus ornate prædicat:

Ne contemne tuas, quaſi parvo in corpore, vires.
Quod valet, immenſum eſt. Sic auri pondera parvi
Exſuperant pretio numeroſos æris acervos:
Sic adamas, punctum lapidis, pretioſior auro eſt:
Parvula ſic totum perviſit pupula cælum:
Quoque vident oculi, minimum eſt, cum maxima cernant.
Materiæ ne quære modum, ſed perſpice vires,
Quas ratio, non pondus, habet. Ratio omnia vincit.

Ac ſi ratio ſubinde perverti motibus turbulentis videtur, nihil ei tum aliud obvenire dici poteſt, quam quod ab Epicteto (*e*) viſis animi, virtutibus, artibuſque obvenire dicitur. *Qualis*, inquit, *eſt aquæ plena ſitula, talis eſt animus: qualis lux eſt Solis in aquam incidens, talia viſa ſunt. Itaque cum aqua commota eſt, videtur & lux moveri, nec movetur tamen. Sic ergo ſi quis cæcutiat, non artes & virtutes confunduntur, ſed ſpiritus, in quo inſident; eoque ſedato, tranquilla prorſus illa pariter & quieta erunt.*

II.

(*e*) Arrian. l. 3. c. 3.

Digitized by Google

II. Porro cum animus id a ratione habeat, ut verum aſſequi poſſit, ab ea pariter id habet, ut virtutis ſinceræ, & appetitionis ordinatæ compos ſit. Neque enim aliud, quo virtus paretur, inſtrumentum eſt, quam ratio vera, qua, ut ait (*f*) eleganter Maximus Tyrius, acuitur accenditurque animus, & ignarus diſcit, diſcens percepta conſervat, conſervans ad uſum traducit, ad uſum traducens haud aberrat.

III. Quæ cum rationi propoſita tanta ſint, ejus ipſa per ſe cultura diligens & aſſidua permagni momenti eſt; tum vero ob id etiam eſt maxime neceſſaria, quod, ut ait Rhetor (*g*) idem philoſophus, arduum eſt invenire rationem veram; cum id humano animo ſæpe accidat, ut ob ipſam ingenii quamdam abundantiam inops ab judicio plane ſit. Præterea tanto plus ad eam rem induſtriæ conferri debet atque operæ, quanto plures avocationes ab ea diſtrahunt, & negligi ſæpius in vita communi ſolet, occupata nimirum obſidentibus undique blandimentis ad illiciendum animum omni artificio compoſitis. Nam vulgus ho-

(*f*) Diſſ. 22. (*g*) Diſſ. 4.

hominum, omiſſa fere parte ſui potiore atque diviniore, ſenſus unice, ſenſibuſque cognatam imaginationem excolit, & horum illecebris ac præſtigiis irretitum ætatem potiorem agit, in eiſque conſeneſcit. Statum hunc infimum rerum humanarum, & gradus alios editiores Plotinus (*b*) ordinate deſcripſit, ipſiſque ſubjecit oculis. *Homines*, ait, *cum ſenſus ante quam mentem habeant expeditos, & in res expoſitas ubique ſenſibus volentes invitique ſubinde incidant; alii conſiſtunt in his, atque has expetendorum primum ac ſupremum eſſe rati, bonumque decernentes eſſe quod in iis jucundum, & malum quod in iis moleſtum ſit, optime ſibi conſuluiſſe putant, ſi altero comparato, depulſoque altero, vitæ curriculum expleant: & qui ſibi vim mentis & rationis inter hujuſmodi genus hominum eximiam & ſingularem attribuunt, adeptione jucundi, moleſtique fuga munus terminari ſtatuunt omne ſapientiæ, haud ſecus affecti atque aves ponderoſiores, quæ præda multiplici prægravatæ, quamquam alis ad volatum inſtructæ ſint, altius efferri nequeunt. Alii vero,* quos

(*b*) Enn. 5. l. 9.

quos ipſa pars animi melior a voluptate revocat ad honeſtum , nituntur quidem ex inferioribus , ac ſeſe nonnihil evehunt ; ſed cum intueri ſuperiora nequeant , ac nihil habeant , in quo ſiſtant veſtigium , ſimul cum ipſo virtutis nomine relabuntur in actiones electioneſque rerum inferiorum , ex quibus evolare connitebantur. Tertium demum eſt genus hominum vere divinum , qui robore mentis firmiore , & acumine ſubtiliore præditi lucis ſupernæ vim ſuſtinere poſſunt , ideoque caligine ſuperata rerum fluxarum , alacriter eo conſtanterque involant ; ac tamquam cives ex longinquis erroribus patriæ legitimæ reſtituti , fruuntur ea regione , quæ veritatis domicilium , ac ſedes natalis animorum eſt.

IV. Ii vitæ gradus ex Platonis libro de Republica nono ducti ſunt , ubi de vera fucataque voluptate luculenter agit. *Cenſes* , ait , *eſſe quidpiam in natura ſummum , infimum , medium ? Cenſes aliquem , cum ex infimo fertur ad medium , aliud arbitrari , quam ſeſe ad ſummum evehi ? ſtantemque in medio , dum oculos eo deflectit , unde venerat , opinari ſe alibi , quam in ſummo eſſe , cum ab eo procul abſit , ut quod eſt vere ſummum pervideat ? Itaque prudentiæ ac virtutis expertes homines ac ſenſibus dediti feruntur deorſum , ac*

rurſus ad medium uſque ſe efferunt , & circum iſta oberrant per omnem vitam ; altius autem numquam evadunt , neque ſuſpiciunt quod vere ſummum eſt , neque ſeſe ad ſuperiora tollunt , neque re ulla vera implentur , neque ſtabili puraque voluptate potiuntur . Vbi partium aliqua noſtri ſuperat alias , id continuo fit , ut & ipſa voluptatem ſui propriam non inveniat , & alias cogat voluptatem alienam & a vera diſſitam conſectari . Quod in primis efficiunt quae a ſcientia & ratione maxime diſtant ; diſtat autem a ratione maxime quod a lege diſtat atque ordine . Contra quae ſcientiae rationique obtemperant appetitiones , & ſequuntur aſſequunturque voluptates , quas ipſa ratio concedit , adipiſcentur veriſſimas voluptates , quatenus appetitionis uniuſcujuſque natura verarum voluptatum capax eſt , quippe cum veritati pareant , ac voluptates attingant ſui proprias . Nam quod eſt cuique optimum , id eſt & maxime cujuſque proprium .

V. Tribus hiſce gradibus continetur quidquid eſt hominum . Primum occupant ii , qui libidinibus ſerviunt corporis . In duobus poſterioribus illi locati ſunt , qui ſapientiam colunt atque prudentiam intelligentia duce . Altera quippe intelligentia ea eſt , quae verſatur in rebus idemtidem mu-

mutari ſolitis , altera , quæ ſempiterna eodemque ſemper modo ſe habentia contuetur. Illam adhibent in primis ii, qui civilem vitam agunt , ac de rebus agendis deliberare perſæpe ſolent : hanc ii , qui philoſophi nuncupantur , ac ſe totos ad veri ac boni perveſtigationem contulerunt. Ipſum id Ariſtoteles antea docuerat. Nam libro Ethicorum ſexto (*i*), qui totus eſt de virtutibus in intelligendo poſitis , cum prius duas eſſe partes animæ poſuiſſet , ratione præditam alteram , alteram expertem rationis ; nunc eodem modo rationis participem dividit , ac facit utramque ratione præditam ; quarum altera res ejuſmodi contemplatur , quæ neceſſariæ ſunt , & ſe aliter habere nequeunt ; altera conſiderat ea , quæ contingentia ſunt , & ſe aliter habere poſſunt. Illam appellari recte putat *ἐπιστημονικὴν* *ſcientiæ compotem* ; hanc autem *λογιστικὴν* , ſive *βουλευτικήν* *ratiocinatricem* , ſive *deliberatricem* ; nam rationibus colligere quid, atque deliberare, prorſus idem ſunt. Nam æque ratiocinatio atque deliberatio in contingentibus occupatur , cum nemo deliberet de

(*i*) Cap. 1.

iis, quæ ſe aliter habere nequeunt. Vtriuſque facultatis opus eſt veritas; at ratiocinatricis atque deliberatricis id peculiare eſt, ut ejus veritas cum appetitu recte congruat, nempe ut idem & ratio affirmet, & appetitus perſequatur.

VI. Vt autem deliberantis virtus prudentia eſt, ita contemplantis ſcientia. Ingenii ad prudentiam natura comparati vires graviter expreſſit Thucydides (*k*) in Themiſtocle, de quo memoriæ prodidit. *Eximia quadam ingenii præſtantia præſentium ac repentinarum rerum, deliberatione breviſſima præeunte, egregius erat æſtimator, & eventus futurarum plerumque conjector optimus; tum quæ in manibus habebat expedire potis erat, ad exitumque perducere; quorum eſſet ignarus, haud ab eo aberat ut ſatis de iis commode judicaret; & in rebus adhuc obſcuris quid melius aut deterius, & quo facto, quove rejecto foret opus, acerrime callideque proſpiciebat.*

VII. Ingenii vero philoſophici naturam graphice Plato deſcripſit libro de Republica ſexto. *Qui vere*, inquit, *& ex animo ſcientiam expetit, ita na-*

(*k*) Lib. 1.

Digitized by Google

natura inſtitutus eſt , ut ſumma contentione annitatur ad id , quod vere eſt , nec moras trahat in multis hiſce ac ſingulis , quæ videntur eſſe, & opinione tantummodo quadam adumbrantur ; ſed ultra progrediatur , neque antea fatigatus expetere deſinat , quam attigerit quid unumquodque ſit ea facultate animi , qua attingi poteſt : qua cum adhæſerit , & ſe cum eo , quod vere eſt , quaſi connubio junxerit , intelligentia , ac veritate intelligentiæ ſobole , cognoſcat alatur & vivat . Quæ vero conſequuntur naturam hanc , abunde perſequitur eodem libro ; nempe neceſſarium , ait , eſſe , ut falſum oderit , ac vera diligat , cum qui ſapientiæ amore tenetur , ea omnia amare debeat , quæ cognata illi ſint . Deinde cum , interea dum cupiditas aliqua vehementer impenſeque viget , cupiditates aliæ remiſſiores eſſe ſoleant , & quaſi rivuli defluant quo cupiditas acrius excitata trahit ; iccirco qui ſtudio inflammato rapiatur ad ſapientiam , animi voluptatem expetat oportere , corporis autem oblectamenta deſpiciat : quare temperantem futurum ; qui animo quidquid eſt divinum & humanum inveſtigare ſtudeat , ab eo nihil eſſe tam alienum , atque illiberalitatem ; neque qui mundi magnificentiam intelligibilis intue-

VITTORIO EMANUELE

tuetur, omniſque temporis ac naturæ contemplator eſt, ei magnum quid iſta, immo vitam ipſam, videri poſſe: quare timiditatem & ambitionem ab eo procul abſuturas. Qui demum non intemperans, non illiberalis, non timidus, non ambitioſus eſt, ei nihil eſſe cauſſæ cur in rebus contrahendis injuſtus ſit. Quamobrem cui dux eſt veritas, eum neceſſario ſincerum ſequi juſtumque morem.

VIII. Quæ cum indoles ſit hominis ad ſapientiam & prudentiam a natura facti, animi perfectio, quamdiu corporis inſtrumento utitur, in eo ſita eſt, ut quæ numquam mutantur, ac mutabilium exemplum ſunt ac regula, penitus introſpiciat; & quæ perpetuo fluunt, ea ſtabili conſilio moderetur, &, quantum cujuſque natura patitur, ad normam exigat immutabilium. Sed, ut recte Plato monet, partes eæ, quæ ineſſe in actore rerum atque contemplatore debent, una raro conveniunt, ſed oriri plerumque diviſæ ſolent. Nam iis, qui dociles, acuti, memores, ingenioſi ſunt, iiſque prediti, quæ fere conſequuntur hæc, non facile obvenit, ut fortes ac magnanimi ſint, & moderata tranquilla conſtantia conſilia pati poſſint; ſed eos impetus ingenii abripit, ac fere ſta-

ſtabilitas animi gravitaſque deſerit. Contra ſtabiles animorum habitus, & a levitate alieni, ſicut conſiderati conſtanteſque in rebus agendis, ita ad celeres ingenii motus fere tardiores hebeteſque ſunt; & oſcitantur ac torpent, ſi quando contemplationi rerum a conſuetudine vitæ diſſitarum iis invigilandum eſt.

IX. Quouſque vero progredi poſſe vim intelligendi Platonici exiſtimarent, id paucis Plotinus (*l*) expedit, ubi ingenium inſita indole generoſum ad virtutum perfectionem qua via ducendum ſit indicat. *De omnibus*, inquit, *non opinione, ſed ſcientia tractat, & de unoquoque poteſt dicere quid ipſum ſit, quo ab aliis differat, & quo cum aliis conveniat. Ab errore, qui in ſenſilibus obvenit, diſſitum intelligibili adhæret, in eoque diligenter occupatur, nutriens animum in ipſo veritatis campo, fretum diſtinctione Platonica ad idearum atque formarum diſcretionem, ac rerum definitionem; aſcendenſque ad genera ſumma, & quæ ex his ſunt, ordine nectit, quoad univerſum intelligibile emetiatur, & nexa rurſus in id reſolvens, a quo* pro-

(*l*) Enn. 1. l. 3.

proceſſerat ab initio ; ac tum demum conquieſcit , quippe quod , eo cum pervenerit , quietem aſſecutum eſt , & in unum redactum nihil ultra quærit ac movet .

X. Quid autem illa ſit Platonica diviſio , Plato ipſe in Phædro docet . Ait enim Socrates : *Eximium opus eſt , ſi quis in unam ideam contuens diſſipata colligat , ut ſingula definire poſſit : ac collecta rurſus in ſpecies articulatim pro rerum natura diſpertiat , ita tamen , ut imperiti coqui more nulla membra frangat .* Hujuſmodi diviſionum atque collectionum ſeſe amore incenſum eſſe profitetur , quo & intelligendi & loquendi compos ſit ; ac ſi quem forte viderit , qui perſpicere pro rerum natura poſſit unum & multa , genus nimirum , atque partes ipſi ſubjectas , ejus tamquam numinis cujuſdam ſeſe veſtigia ſequi .

XI. Quare mentis acumen atque profunditas tanto major eſt , quanto longius in analyſi notionum progredi quis poteſt , ſive notiones diſtinctas in alias ſimpliciores uſque reſolvere . Quo autem quis plura diſtinguit in ſingulis , eo paratior eſt ad intuendum , quid cuique proprium ſit , & quid cum aliis commune habeat : ex quo fit , ut una notione complecti plurima poſſit . Quanto ve-

vero notiones ſolvere magis poteſt, tanto uſque ad genus ſummum facilius pervenit gradatim. Generum enim alterum alteri porro ſubjicitur, ut a ſingulis ad genus maxime univerſale aſcendatur gradibus infinitis, quorum quo plures quis perſpectos habet, eo clariores atque diſtinctiores rerum notiones comparavit ſibi. Omnes autem in promptu habere, intelligentiæ nullius, præterquam divinæ, eſt.

CAPVT III.

Præfatio in ſecundum Ethicæ ſuæ librum.

I. EXploratis muneribus facultatum humanarum, rei progreſſus ordiniſque ratio poſtulat, ut earum limites ſtatuamus, nempe quouſque quæque progredi poſſit interea dum munere ſuo fungitur, vel quantum operæ ac temporis tribui cuique poſſit aut debeat. Nam ſi forte cujuſpiam uſus eatenus intenderetur, quatenus ipſa per ſe ſpectata intendi poteſt, reliquæ plane exareſcerent incultæ ac deſides, & una quapiam immoderatius dominante, non modo ceteris ſpatium deeſſet ad fungendum munus ſuum, ſed

ejus

ejus ipſius, quæ dominatur, uſus corrumperetur, ſi una præſtaret quæ præſtanda ab omnibus ſunt; vel totum ipſum labeſieret, ſi carendum illi foret opera ea, quæ a partibus ſingulis afferri debet, ut numeris illud ſuis expleatur, & conſervetur in optimo ſtatu. Nam, ut eos prætermittam, qui omne ſuum tempus excolendis ſenſibus tribuunt, & iis, quæ ad corpus unice pertinent, conſectandis, illi ipſi, qui deferunt omnia menti, & ita a corpore quaſi ſegregandam putant, ut, quod ait in Phædone Plato, ipſa apud ſe maneat corpore valere juſſo, ac nihil ab ipſo participans, neque attingens illud, unice perſequatur quod vere eſt; illi, inquam, ipſi, etiamſi ſplendida quædam proferant, tamen præter quam quod majora ſectantur, quam quæ viribus aſſequi poſſint a natura datis, dum hominem efficere ſtudent integrum & abſolutum, evertunt ac deſtruunt. Reſcindunt enim ſocietatem eam mentis & corporis, qua natura ipſa partes ab ſe mutuo divulſas devinxit, &, qua reſciſſa, mens tam diſtat ab homine, quam elementa ſingula ſeorſum ab eo, quod ex elementorum inter ſe permixtione coaleſcit.

II. Id autem ex eo fluxit, quod in origine mali diſpicienda dum nimis intendere conarentur oculo-

rum

rum aciem, ii quaſi diſſultantes inania ſpectra cernerent: nam cum malorum gradus deſcriberent, materiæ primum; ſecundum formæ, qua materia modificatur; tertium animæ, quatenus ea quidpiam a materia participare putabatur, attribuerunt. *Malum inveniri neceſſe eſt*, inquit Plotinus (*a*), *primo in iis, quæ vere non ſunt, quaſi formam quamdam ejus, quod vere non eſt; deinde, in iis, quæ permixta cum illo ſunt, quod vere non eſt; demum, in iis, quæ quomodocumque cum illo, quod vere non eſt, commune aliquid habent*. Vere autem non eſſe, ſive ſimulacrum quoddam ejus eſſe, quod eſt, autumabatur ab his ſenſile omne, ſenſiliumque affectio omnis, & quidquid huic aut obvenit, aut ortum tribuit, aut complementum adjicit. Ideo vero materiam eſſe malum ipſum exiſtimarunt, quod eam conſiderarent tamquam quid immoderatum, ac nullo termino circumſcriptum, informe, numquam non egenum, ſemper indefinitum, nuſquam conſiſtens, omnia undique patiens, inſatiabile; quæ non aliunde accidunt ipſi, ſed ejus ipſa natura ſunt. Quare conſtituerunt id eſſe per ſe

(*a*) Enn. 1. l. 8. c. 3.

ſe malum, quod ſubjectum eſt & formis, & figuris, & menſuris ac terminis, & nihil in ſe boni poſſidet, præter ornamenta hæc extrinſecus obvenientia. Immo vero materiæ ne ipſis quidem ornamentis his induendi ſui poteſtatem conceſſere. In ea materiæ plane commentitia deſcriptione tam imaginationis intemperantiæ redundantiæque indulſerunt, ut a poetarum nemine ſuperari poſſint. Nam Plotinus (*b*) ex eo, quod materia ſit ipſa per ſe mala, efficere ſtudet, eſſe nullo pacto poſſe boni participem.

III. Porro cum ſtatuiſſent materiam eſſe vi ſuapte malam, naturam etiam corporis, quatenus eſt materiæ particeps, iccirco malam eſſe cenſuerunt, quod inanem ſolum quamdam ejus, quod eſt, ſpeciem præferat, & vita careat, & mutuam inter corpora corruptionem ingeneret, & per corpora temere nulloque ordine vagari ſoleat, & animæ actiones impediat, & numquam non fluens a ſtabilitate conſtantiaque prorſus abhorreat. Animam demum nec ipſam per ſe, neque omnem eſſe malam, ſed irrationalem tantummodo malam fieri pro-

(*b*) Enn. 3. l. 8.

propterea judicabant, quod extra materiam omnino non ſit, ſed immoderationi admiſceatur, & expers ſit formæ, quæ modum ſtatuit immoderatis, quippe cum in corpore materiam habente demerſa ſit. Rationalem autem animam lædi dumtaxat in eo poſſe, quod affectibus, ac materiæ tenebris impedita minus expromptam habeat intelligentiam; neque ſe plane convertat ad illud quod ſemper eſt, ſed inſpiciat id quod oritur interitque, cujus principium eſt natura materiæ mala tam ipſa per ſe, ut id etiam, quod in ipſa non eſt, ſed tantum ad ipſam reſpicit, inficiat impleatque malo ſuo. Quibus poſitis efficere neceſſario debuerunt, animum tum perfectum ac purum fore, cum ab ſe materiam omnem eliminarit, atque ad id, quod interminatum immoderatumque eſt, neque acceſſerit, neque ſe cogitando converterit; ſed intellectu undique circumfuſus ſit. Ex quo demum ultro oritur, (c) hominem præſertim probum non eſſe quiddam ex animo & corpore compoſitum; eumque propterea, qui probus futurus ſit, debere attenuare corpus & infirmare, ut

(c) Plotin. Enn. 1. l. 4. c. 14.

ut appareat ejuſmodi hominem eſſe quidpiam ab externis aliud. Quare virtutem omnem in eo verti tandem, ut animus a corpore ſejungatur, animique (*d*) juſtitiam eſſe, ſeſe ad intellectum in agendo dirigere; temperantiam, interiorem ad intellectum converſionem; fortitudinem, apathiam ad ſimilitudinem ejus, in quod inſpicit extra paſſionem omnem ſitum; ſapientiam, contemplationem eorum, quæ in intellectu ſunt. Qua in mentis a corpore divulſione cumque intellectu conjunctione ſi quis virum probum non conſtituerit; eum obtrudere nobis hominem mixtum ex bono ac malo, ex bonoque ac malo mixtam ei vitam tribuere, quippe cui nihil tribuat omnino magnum, & excellentia ſapientiæ, bonique puritate dignum.

IV. Grandia quidem & elata hæc, ſed ex poſitione falſa ducta: quod enim a Deo factum ſit, eſſe nullo modo poteſt ipſum per ſe malum, neque mens ob ipſum id, quod corpus adjunctum habeat, in malo ſita eſt; & ſejunctio illa, quam magnifice efferunt, mentis a corpore naturæ noſtræ vires exſuperat, immo vero naturam ipſam re-

(*d*) Id. En. 1. l. 2. c. 6.

repugnantem habet. Etſi enim animus ipſe per ſe conſiſtere poſſit, quia tamen numquam ſine corpore extitit, quod non inſtrumentum animi eſt, neque cuſtodia vindex ſcelerum, ſed æque ac animus pars noſtri, & functiones animi cum corporis motibus conjunctæ ſunt lege naturæ, ac motus hujus viciſſim ad ejuſdem functiones admirabiliter accommodati; niſi qua vis major intercedat, ipſe ſe ab eo ſeparari minime patitur. Neque vero ſine providenti conſilio conjunctio ejuſmodi inſtituta eſt; nam ex ea nova functionum in univerſo ſeries efflorеſcit, quæ numquam ex alterutro ab altero diſtracto proficiſci potuiſſet. Immo neceſſaria quodammodo fuit illa conſociatio naturæ duplicis, intelligentis atque corporeæ, ne rerum continuatio abrumperetur, & progreſſionis apte cohærentis interſcinderentur gradus. Nam, ut præclare Simplicius (*e*), inter ea, quæ ſemper ſurſum, ſemperque deorſum ſunt, quædam exiſterent oportebat media, quæ, ne quid univerſi perfectioni deeſſet, extrema inter ſe quaſi conjungerent, nempe ne qua rerum deſideraretur compoſitio,

(*e*) In cap. Epicteti 13.

tio, quæ ex extremis inter ſe apte colligatis effici poſſet. Quare non inelegänter appellat hominem Grævius (*f*) Aequatorem Vniverſi viſibilis & inviſibilis, cujus extrema ſunt ex altera parte pura corpora, quæ prorſus tenebroſa ſunt; ex altera puræ mentes, quæ ſunt undequaque illuminatæ; compoſitum autem ex mente & corpore, quod homo dicitur, retinet medium, & hinc tenebroſum, illinc illuminatum eſt. Animum igitur cum corpore conjungens rerum effector ac molitor Deus, rem eſt machinatus, quæ non imperfectum aliquid ac temere fuſum oſtenderet, ſed novum induceret perfectionis genus. Et quamquam vis mentis, dum corpori ſeſe accommodat, aliquatenus contrahatur; id tamen, quod amittit illa de ſuo, minus eſt, quam quod ex conjunctis exiſtit utriuſque viribus. Minus eſt enim aliqua rei, quæ jam exiſtat, imminutio, quam ejus, quæ nondum exiſtat, inductio non ſine fenore quod acceperit, abundeque redditura, ſi prudenter exculta ſit.

V. Quare non de ſolvendis iis, quæ naturæ ſa-

(*f*) In Coſmologia ſacra lib. 2. c. 8.

ſapientia conjunxit, cogitandum eſt, verum de moderando utroque, ut actiones, quæ fluere ex conjunctis debent, ad præſcriptum naturæ exactæ ſint, ejuſque propoſito ſatisfaciant; quod ut fiat, facultatum ſingularum muneribus ſunt limites aſſignandi ſui. Id Plato docuit cum aliis in locis, tum libro de Republica quarto. Nam cum decreviſſet, ut civitatem, ſic hominem quemque tum juſtum eſſe, cum ſuo quiſque munere fungeretur, & munus aliis attributum integrum intactumque plane relinqueret; neceſſarium eſſe porro ſtatuit, ut ſingulæ facultates concentu quodam inter ſe apte conſentiant: quare vim rationis, quæ fere debilior eſt, intendendam; & iraſcentem, quæ vehementior eſt, remittendam eſſe cenſuit. Quæ cum revera didicerint, quæ ſua cujuſque ſunt, concupiſcenti præerunt, quæ facultas animi in unoquoque redundans eſt, & natura inexplebilis; & cavebunt, ne voluptatibus impleatur, ideoque amplificata nimium atque corroborata non agat deinceps quod ſuum eſt, ſed imperare conetur ei, cui nullam imperandi poteſtatem a natura tributam habet; ac vitam eo pacto perturbet & evertat univerſam. Tria hæc qui apte temperet inter ſe, quaſi tres harmoniæ terminos

medium, ſummum, imum, &, ſi quæ alia inter ea forte ſunt, ea vinculis omnia complectatur, atque adeo unum quiddam e multis effectus ſit; & ea lege agat quidquid ſive in pecunia comparanda, ſive in cultu corporis, ſive in publicis negotiis, ſive in rebus contrahendis agendum obvenit; is demum virtutem attigit univerſalem, & perfectionem eam, quæ homini propoſita a natura eſt. Atque concentus ille facultatum, quæ generalis quædam mediocritas appellari poteſt, fons eſt & radix mediocritatis ejus, quæ per ſingulas virtutes funditur, & virtutum omnium civilium conſtituta ab Ariſtotele quædam inſignita quaſi nota eſt, qua ſi actio aliqua non obſignata quodammodo prodeat, a naturæ ſanctione abhorrere dicenda ſit; cum facultatis alicujus ex iis, quæ convenire debent, aut imperfectionem aut remotionem indicet. Sed hæc fuſius ſuo loco. Nunc enim limites facultatum univerſales inveſtigandi ſunt, qui primo ex ipſarum facultatum vi inſita definiri debent, ut quo pronior quæpiam ad exceſſum ſit, eo arctius contrahatur, ne reliquis impedimento ſit excurrens latius.

CA-

CAPVT IV.

Alia in eumdem librum Præfatio.

I. CVm ſimus quiſque civitas quaſi quædam ex partibus multis ac variis coaleſcens; ſingulis hiſce debetur aliquid, quo fraudari nulla poteſt, quin eidem injuria quodammodo fiat, unoque conſilio naturæ ſollertis ac providæ ſanctio deſeratur. Sicut enim conditori civitatis non eo quidem collineandum eſt, ut pars ejus quædam eximie felix ſit, ſed habenda ratio partium omnium, eoque dirigendi cives, ut ſui quiſque ſit operis artifex optimus, & felicitatis accommodatæ muneri ſuo particeps: ſic etiam facultatibus omnibus a natura cuique datis conſulendum, & ſuum cuique tribuendum eſt, ut hæ conſerventur in optimo ſtatu, atque ad hominis perfectionem ea conferant, quæ ſingulis aſcripta ſunt, hominemque parent & inſtruant ad ea, quæ præſtare maxima poteſt; ne ſubſiſtendum illi ſit infra gradum eum, in quo poſitus a natura eſt, idemque plane accidat, quod automati cuipiam accidere ſolet, ſi qua forte rota vitioſa

ſit aut ablata. Non ſolum enim eo vitio minuitur motuum eorum varietas ac multitudo, quos opifex, cum machinam conderet, animo deſtinabat; ſed motus etiam ii perturbantur, quos machina rudior explere poſſet inſtrumentis, quæ reliqua ſunt, quod horum conſenſio conſpiratioque depravata vel interrupta ſit.

II. Virtus hæc & vis, quæ facultati cuique ſuum tribuit, & appellari juſtitia cujuſque poteſt erga ſemetipſum, in primis a Platone conſiderata & exculta eſt. Nam libro de Republica quarto Socrates cum oſtendiſſet genera, quæ in civitate ſunt, eadem ac numero paria cujuſque in animo eſſe; colligit ex eo non alia ratione juſtum quemque dici debere, quam qua juſta civitas appellatur. Sicut autem civitas ex eo juſta dicitur, quod cum in ea ſit hominum genus triplex, unumquodque munere ſuo fungitur; ſic quiſque noſtrum juſtus eſt, cum ſingulæ facultates animi, quod ſuum eſt, peragunt. Quæ juſtitia non in actione quidem externa, ſed interiore verſatur, apteque componit animum ipſum, & quæ ſunt animi, ut hic minime ſinat aliena gerere facultates ſuas, & ſua ſibi mutuo præripere munera, ſed apte ac decore dirigat ipſe ſe, ſibi imperet, ap-

pa-

Digitized by Google

paratu ſeſe omni inſtruat, amicus ſit ſibi, conſentienſque ſecum; tria illa quaſi tres harmoniæ terminos accommodans inter ſe, atque ex multis effectus unus, temperans & compoſitus, omnia convenienter agat vel in opibus acquirendis, vel in cultu corporis, vel in negotiis privatis ac publicis gerendis; juſtam atque præclaram actionem eam exiſtimans, quæ conſervat & perficit habitum hunc, & ſapientiam appellans ſcientiam illam, quæ actioni iſtiuſmodi præeſt; injuſtam contra vocans actionem eam, quæ diſſolvit habitum illum, & inſipientiæ nomen tribuens opinioni, quæ dux eſt ad eamdem. Atque virtus hæc ſanitas eſt, pulchritudo, firmitaſque animi; contra pravitas animi turpitudo, morbus, imbecillitaſque eſt. Nam ut ſanitas inducitur, cum quæ in corpore ſunt, ordinantur ſecundum naturam, interque ſe ſuperantur ac ſuperant; morbus autem innaſcitur, cum præter naturam aliud alii paret & imperat: ſic etiam in animum inferre juſtitiam aliud nihil eſt, quam ita quæ ſunt animi componere, ut ex præſcripto naturæ alterum alteri pareat imperetque; injuſtitiam autem, ut contra naturam imperet alterum obtemperetque alteri.

III. Quæ parendi quidem & imperandi vices ita moderandæ ſunt, ut & quod imperat in commune conſulat, & quod paret, ex eo bonum ſuum ad ſe pervenire ſentiat; ac dum obſequendo potiori tribuit quod ejus eſt excellentiæ debitum, ab eo viciſſim accipiat quod ſuum eſt ac proprium, & conſervari minime tutum poſſet atque integrum, ſi quod a ſapientiori regendum eſt, ipſum ſe turbulente regeret. Nam ratio non debet illa quidem undique ſibi corradere facultatum ceterarum opes, &, quod aliis abſtulit, intus includere; ſed effundere ex ſe quod habet innatum boni, vel aliunde collegit, idque communicare cum aliis, quæ non mancipii loco, ſed ſocii, habendæ ſunt in augenda promovendaque felicitate hominis univerſi: ut vere dici de ratione poſſit, quod magnifice magis, quam vere, de Romanis dictum eſt a Iuriſconſulto (*a*) doctiſſimo, nimirum hiſce datum eſſe, ut gentes non jugo premerent ſervitutis, ſed a ferinis moribus atque immanitate ad veram libertatem, nempe ad honeſtatem, ſuis revocarent legibus. *Non enim*, inquit,

(*a*) Gravina Orat. 3. de Iuriſprudentia.

Digitized by Google

quit, *hominibus illi bellum indixere, ſed vitiis, atque ut humanitatem homini redderent, arma ſumſerunt. Quamobrem ſubjectos illi ſuos raro nota ſervitutis inurebant, ſed honore amicitiæ, atque ſociorum appellatione complectebantur; ſæpeque illis a barbaris moribus ad Romanarum legum ſanctimoniam traductis, civitatem Romanam aperiebant, & civilium bonorum viam: quo intelligerent, non ſervos a Romanis tot bellis quæri, ſed comites atque conſortes honeſtæ vitæ, quæ a victorum legibus cunctis populis proferebatur*. Haud abſimili modo rationi non deſtruendus, ſed eximie perficiendus homo eſt, in ejuſque partes ac facultates non ad perniciem ullius, ſed ad incolumitatem omnium eſt imperium exercendum a natura tributum, ut ex collatis omnibus omnium viribus inter ſe conſpirantibus effundatur omne boni genus, quod a mente & corpore induſtria ſumma elaborato conjunctis inter ſe fundi poteſt. Ex quo fluxit id, quod ajebant quidam, philoſophum hominem in omnibus excellere. Quod explicans Dio Pruſæenſis (*b*), *Recte*, inquit, *ex-*

(*b*) Orat. 71.

cellere oportere philoſophum ubique putant ; niſi forte dicunt, quod Eleus Hippias de ſe predicabat, artes illum omnes ſcire debere, meliuſque ſecundum artem omnia facere quam opifices. Nam fieri non poteſt, ut artes omnes calleat philoſophus ; ut autem omnia, quæ facturus eſt, & ipſa ea, quæ ex arte fiunt, ſi quando illi facienda ſint, rectius quam alii faciat, id vero muneris ejus eſt ; nempe ut ſive faciat quid, ſive non faciat, id ab utilitate recta numquam diſcedat, & opportunitatem rerum ipſe magis quam artifex exploratam habeat.

IV. Quemadmodum vero Plato hominem totum excolendum eſſe putavit, & ſuum facultatibus ſingulis tribuendum, ne qua vel torpeat inutilis, vel omnia pertrahat ad ſe, quæ debent in ceteras diſpartiri ; ſic illi, qui poſtea Platonici dicti ſunt, animum a corpore avulſum exiſtimarunt unice perfici debere ; corporique ſiquid ſit concedendum, non aliter id ei tribui oportere, quam reo cuipiam ad ſupplicium deputato tribuitur, quod ipſi maligne alendo ſatis eſt. Quod cum facerent, perinde agebant, ac ſi quis univerſo lucem unice relinquendam arbitratus, auferenda putaret opaca omnia, quæ a luce varie colorata, luciſque calore evoluta, miracula naturæ multipli-

plicia proferunt, augentque mirum in modum multitudinem rerum ac pulchritudinem. Quemadmodum enim lux incurrens in corpora varie figurata, ſpecies exhibet oculis admirabiles, & a corporibus intus admiſſa, calore dum ea fovet, infinitam quamdam rerum varietatem educit ex iis; ſic animus, dum incidit in inſtrumenta ſenſuum atque imaginationis, eademque quodammodo permeat, humanæ naturæ functiones variat atque multiplicat, & quæ ſolus efficere minime poſſet omnia, corporis adjuncti, varieque ab ſe permoti, beneficio promit, ac mirifice quaſi multimodiſque transformatus ſeſe ſubinde alium exerit. Sed iis corpus tam malum eſt, ut numquam fieri bonum, neque boni quidpiam animo afferre poſſit; immo vero (c) malum eſt animus ipſe, ſi corpori quaſi permixtus una cum ipſo patiatur quidpiam, & aliqua in re conſentiat. Quamobrem ut bonum tum eſſe cenſebant animum, cum ſolus agit; temperantem, cum nihil una cum corpore patitur; fortem, cum ſeceſſum a corpore non pertimeſcit; ſic juſtum, cum mens & ratio du-

(c) En. 1. l. 2. c. 3.

ducit, ac cetera interea non reluctantur: quæ juſtitia (*d*) ipſa nondum perfecta eſt, ſed gradus quaſi quidam ad perfectam, quæ animi a corpore penitus abſtracti, ſeque prorſus ad intellectum agendo dirigentis, eſt.

V. Si quis autem iis opponeret, hominem non eſſe dumtaxat animum (*e*), ſed hominis naturæ naturam corporis annumerari, dum quæ corpori accidunt ad ipſum animum transferri poſſunt; quare diis quidem perfectum unius mentis habitum ſufficere, homini vero, cujus animo deterius aliquid eſt adjunctum, quærendam eſſe felicitatem, quæ totum complectatur, non autem parti conſulat etſi præſtantiori, quæ, cum altera male ſe habet, officio ſuo fungi prohibetur, alioquin abjiciendum corpus eſſe ſenſumve corporis, ut haberi cura poſſit animi tantum, & quæri unum id, quod animo ſatis ſit; ſi quis, inquam, opponeret hæc, regerebant (*f*), hominem præſertim probum non eſſe quiddam ex animo & corpore compoſitum, idque teſtari avocationem animi a corpore, contemtumque eorum, quæ bo-

(*d*) Ibid. c. 6. (*e*) Ibid. l. 4. c. 5. (*f*) Ib. c. 14.

bona corporis appellantur. Neque felicitatem in animante eſſe, neque in magnitudine, bonoque corporis habitu, neque in perſpicacia ſenſuum; immo vero nimiam corporis ac ſenſuum proſperitatem gravare animum, hominemque ad ſe detorquere: quocirca debere corpus attenuari, ut appareat hominem ab externis eſſe diverſum. Vulgari quidem homini formoſum eſſe licere, magnum, divitem, multorum dominum, quippe qui regionis hujus civis ſit, neque decepto imaginibus hiſce invidendum eſſe: ſapientem autem, ſi forte his affluat, abjecturum, corporis dotes attenuaturum, ipſam ſanitatem ita curaturum corporis, ut neque morborum neque dolorum imperitus eſſe velit: nullam aliam (*g*) jucunditatem exoptaturum, quam quæ bonorum animi comes eſt, & neque in motu poſita eſt, neque nuper advenit, ac eorum, quæ mala dicuntur, exturbari nullo poteſt. Si quis autem aliam voluptatis ſpeciem in probi vita poſtulat, eum non probam vitam quærere.

VI. In his aliqua vera ſunt, aliqua nimis exagge-

(*g*) Ibid. c. 12.

Digitized by Google

gerata, magnifica omnia. Quantum autem iis inſit ponderis, ex argumentis, quibus ea firmare conantur, manifeſtum fit. Si felicitas (*b*), inquiunt, bonis etiam corporis explenda eſſet, nemo contrariis imminentibus eſſe beatus poſſet. Si felicitas eſſet bonorum ſimul, atque neceſſariorum, aut etiam ſupervacaneorum cumulus, omnia quæri oporteret. At ſi finem unum eſſe, non multos, neceſſe eſt, alioquin enim non finis, ſed fines quærerentur; illud unum expetendum eſt, quod eſt ultimum ac præſtantiſſimum, quodque intimum ſibi fieri quærit animus. Eaque vere voluntas eſt, eoque preſente quod optimum eſt impletur & acquieſcit. Contra vero neceſſariorum voluntas non eſt, ſi quis vim verbi retineat; cum hæc adeſſe propterea exiſtimemus oportere, quod a malis pro viribus declinemus; declinatio autem ea non exoptatur primario, magis enim exoptandum eſt, illa non indigere; quod planum fit ex ipſis contrariis, cum adſunt, ut ſanitas & indolentia. Nam quid horum illecebram magnam habet? Sanitas enim & indolentia præſens contemni ſo-

(*b*) Ibid. c. 6.

ſolent. Quæ vero præſentia nullam illecebram habent, ea nullum ad felicitatem incrementum adjiciunt; abſentia vero expetuntur propter contrariorum moleſtiam præſentem. Quare neceſſaria magis appellanda, quam bona, ſunt, neque fini annumeranda; ſed & abſentibus iis, & contrariis præſentibus, finis integer conſervandus eſt.

VII. Hæc in ſpeciem egregia, & ad fucum faciendum humanæ ſive ſuperbiæ ſive ſocordiæ comparata quidem ſunt; ſed quantum vim animi promovere videntur, tantumdem homini detrahunt, & reſpuuntur a natura ipſa, tamquam a mente confiEta, quæ, compoſita quæ ſunt, ad ideæ cujuſpiam abſtractæ ſimplicitatem omnia redigenda putat; atque ex figmento ſuo de rebus judicat, hiſque adimit, quod illi minime ineſſe videt. Hinc forma quædam felicitatis manavit conſtantis & immutabilis, quæ cum ad homines, ut nunc ſunt, pertinere non poſſit, ut applicetur ad ipſos, ſubtrahendum illis fuit id ipſum, quo ſunt homines, animuſque unus relinquendus, qui ſolus cum eſt, non magis appellari homo poteſt, quam corpus ab animo avulſum. Sed non natura commentis hominum accommodanda eſt, at hominum opiniones ad naturæ normam exigendæ ſunt; ne-

que

que dirimenda ſocietas, quam animi cum corpore inſtituit, neque majora tribuenda homini, quam quæ natura ferat hominis. Quod cuique debetur, ex indole cujuſque definiri debet: & ſi cui non undequaque perfectum quid conveniat, ei ſubtrahi minime debet id, quod cum ipſo congruit, etſi cum alio comparatum inferius ſit. Quamquam enim ipſum per ſe nequeat ad excellentiam aſpirare rerum excelſiore in loco poſitarum; tamen quod ipſum affert, cum eo conſpirans, quod a rebus altioris ordinis expromitur, univerſi perfectionem adjuvat. Quare ut quod perfectius eſt, pulchrius efficiatur, non ipſum per ſe unum excolendum eſt, ſed aliorum, quæ conjuncta cum eo ſunt, habenda ratio; ejuſque non ad ipſum, ſed ad compoſitum ex ipſo aliiſque pulchritudo accommodanda eſt, quemadmodum pulcherrimæ corporis parti pulcherrimi colores adhibendi non ſunt. *Si quis*, ait appoſite Plato, (*i*) *dum figuram pingimus, vituperaret, quod pulcherrimis animantis partibus non pulcherrimos etiam colores apponamus; nam oculi pulcherrimum membrum*

(*i*) L. de Rep. 4.

brum non purpureo ſed nigro colore infecti eſſent; reſponderemus: O bone, non adeo pulchros oculos pingi oportet, ut ne oculi quidem eſſe videantur; ſed conſidera, decore ſuo ſingulis attributo, pulchrum ne totum factum ſit.

CAPVT V.

Qua ratione adoleſcentibus conſulendum, ut eorum voluntas ad honeſta paretur.

I. VOluntas invitamentis & offendiculis omnibus exſolvenda eſt quam maxime poteſt, ne rationem præcurrat aut deſerat; eique ſubtrahenda cautione ſumma quæ ſenſuum illecebris occupatam, & perſonis alte obſtupefactam iis detinent, quas omni pigmento illitas, omnique flore colorum, conſpirante multorum aſſenſione, imaginatio rebus impoſuit; ne videlicet antea pravis imbuatur, & fucatis omnino concilietur, quam recta inferi cœpta ſint. Quod enim & acrius delectat, & prodit magnificentius, cum ſeſe animo obtulerit, ab eoque ſuſceptum ſit, repudiari difficile depellique ſolet, ut ei locus paretur, quod aſſucto conditioribus atque

blan-

Digitized by Google

blandioribus aridum apparet, ſeverum, illepidum; præſertim cum, illud eſſe naturæ conſentaneum, ex eo facile exiſtimetur, quod ei nihil obſtrepit atque reclamitat; hoc autem invita natura obtruſum, quod id cupiditas, quæ jam occupavit obtinetque animum, averſatur ac reſpuit. Qua in re more quodam inveterato voluntati ad honeſta parandæ male conſulitur, dum mens ad eruditionem atque doctrinam inſtituitur. Cum enim fere dirigatur ad elegantiores litteras, quibus ad humanitatem informari dicimur, & cognitionem antiquitatis; diu multumque volutari debent adoleſcentes in libris iis, qui lutulentas cupiditates magis, quam honeſta ſtudia, perpetuant; & ornamentis omnibus vitia magis illuſtrant, quam virtutum formam lineamentis ſinceris ac ſuis exprimant. Sæpe enim fit, ut ii ſint optimi doctores urbanitatis, elegantiæ, leporis in dicendo, qui magiſtri ſunt morum mali, nequitiæque arbitri; cum qui maxime laudantur, in eo potiſſimum elaborarint, ut & ſibi cupiditatum ſuarum, earumque rerum, quibus excitantur hæ foventurque, ſpeciem altius infigerent, & ea proponerent aliis, quibus homines eiſdem dediti jucundiſſime detineri poſſent. Quare cum & in-

ingenio valerent, & libenter occupati tenerentur ſimulacris iis, quæ res accommodatas ad cupiditates referunt; animi perturbationes expreſſerunt, & blandimenta voluptatis expoliverunt arte & induſtria, quam acerrimam & exquiſitiſſimam adhibere poterant uno conſenſu percitus animus afflatu cupiditatum, ingenii vis, occupationis ipſius delectatio, & placendi ceteris, & ex eo laudis aucupandæ ſtudium. Ex quo fit, ut eo periculoſiores ſint, quo ſæpius in iis nihil non lautum, non elegans, non acri ſuavitate conditum extat atque enitet. Nam ſi, quemadmodum ait Ariſtoteles (*a*), quæ inculta & horrida ſunt, & a quibus abhorret ipſa natura, imitando expreſſa delectant; qua voluptate perfundemur intuentes formam affabre effictam & exornatam earum rerum, quæ delectant ipſæ per ſe, noſque, ſimul ut objectæ ſint, nativa quadam illecebra ſenſibus admirabiliter accommodata capiunt! Sane voluntati nihil accidere potuit exitioſius, quam ut ars ad ea polienda accederet, quæ cupiditatis irritamenta ſunt. Sic enim ad voluntatem depravandam

D ipſum

(*a*) Lib. de Re poetica.

Digitized by Google

ipſum illud adhibitum eſt, quod, ut ei magnum adjumentum eſſet ad virtutem, in animis inſitum a natura fuit. Nam ut ad rationis pulchritudinem adamandam proniores ſimus, natura comparatum eſt, ut, quemadmodum Plutarchus (*b*) ait, ob ipſum id, quod ratione præditi ſumus, artes amemus, & quod arte ſit ac ratione factum ſuſpiciamus. Hinc ſi puerulo rude quis argentum, unaque cælatum exhibeat, is illud ſibi confeſtim eliget, in quo rationis quidpiam & artis admixtum videat. *Ob eamque rem homines*, inquit, *aut morientes aut morbo conflictatos ſine moleſtia non videmus; Philoctetem autem pictum & fictam Iocaſtam, in cujus faciem aliquid argenti admiſcuiſſe ferunt artificem, ut æs referret intabeſcentis exanimæque ſpeciem, cum voluptate ſpectamus & admiramur: quia nimirum animus imitatione trahitur, quod ea cum natura, quæ rationis eſt particeps, apprime congruit*. Præſidium autem ejuſmodi, quod noſtra maxime referebat, integrum incorruptumque permanere, hominum ingenia præpoſtera infecerunt, artemque traduxere ad augendam cupi-

(*b*) Lib. 5. Sympoſ. Quæſt. 1.

Digitized by Google

piditatis vim, ne ulla prorſus adverſariæ potentiſſimæ deeſſet illecebra, qua caperentur & in fraudem illicerentur improvidi, captique & illecti ſeſe difficilius expedire poſſent.

II. Quamobrem ad formandos animos teneriores, quanto ſatius eſſet imagines iis exhibere deſcriptas ordine rerum pulcherrimarum, quas in hac univerſitate certis aſtrictas legibus ipſa natura paſſim & conſtanter, aut ars æmula naturæ magno cum vitæ commodo atque ornamento ſuppeditat, quam animi cupiditatum atque perturbationum picturas artificio omni elaboratas, quæ facilius ab animo ſecludi poſſunt, antequam admittantur, quam extrudi cum ſemel admiſſæ ſint! Immo vero qui ſuſcepit eas & amplexus eſt non modo ægre patitur eas ab ſe extrudi; ſed fovet etiam, & ab iis argumenta ſumit ad imitandum ac defendendum quod harum auctoritate & exemplo ab ſe factum ſit. Id enim fere accidit in vita communi, quod accidiſſe Terentius in Eunucho finxit adoleſcenti Chæreæ. Inquit enim ipſe de ſe (*c*):

 Ine-

(*c*) Act. 3. Sc. 5.

Digitized by Google

——————— Inerat pictura hæc :
Iovem
Quo pacto Danae miſiſſe ajunt quondam in gremium imbrem aureum.
Egomet quoque id ſpectare cœpi; & quia conſimilem luſerat
Iam olim ille ludum, impendio magis animus gaudebat mihi,
Deum ſeſe in hominem convertiſſe, atque per alienas tegulas
Veniſſe clanculum per impluvium, fucum factum mulieri.
At quem Deum? qui templa cæli ſumma ſonitu concutit.
Ego homuncio hoc non facerem? Ego vero illud ita feci, ac lubens.

III. Sæpe quidem in poetarum libris injecta monita nonnulla ſunt, quorum cauſſa ſe doctores morum perhibent, ut Euripidem profitentem induxit in Ranis (*d*) Ariſtophanes. Nam rogatus ab Aeſchylo, quam ob cauſſam poetam admirari debeat quis, reſpondet:

Δε-

(*d*) Act. 4. Sc. 2.

Δεξιότητ૭, κ̀ νυθεσίας, ὅτι βελτίυς τι ποιῦμεν
Τὺς ἀνθρώπυς ἐν ταῖς πόλεσι.
Propter dexteritatem ingenii, & doctrinam, qua meliores
Efficimus cives in Republica. (e)

Præterea non raro ſic eventa diſponunt atque ordinant, ut eorum, quæ fecerit improbe quis, pœnas exitu funeſto luat. Quamobrem Euripides idem, cum inſimularetur quod improbos fortunatos nimis faceret, exitum expectari juſſit, antequam id ſibi vitio tribueretur. Sed monita illa tranſmittuntur inobſervata, vel etiam faſtidium movent iis, quorum cupiditas excitata fervet, idque unum amat & probat & amplectitur, quod objecta ſibi conſentiente ſpecie fovet alitque ſe. Plures enim ideæ motioneſque conſociatæ cupiditatem ſuſtinent, quam quas ratio prudenſque conſilium adjutrices adhibere poteſt. Quod autem ad exitum attinet, qui impenſe amet quidpiam, eoque vehementer oblectetur, is neque tam providus eſt, ut interea dum præſentibus occupatur, in futu-

(e) Int. Nicod. Friſchlino.

Digitized by Google

ra porrigat oculos; neque tam timidus omniaque circumſpectans, ut interea dum eſſe ſibi bene perſpicit, incerta metuat: cum jucunditas, qua pertentatur, intime attingat animum; infortunium autem, quod conſecutum audit aut legit, ab ſe facile removeat, quod aut a poeta confictum & ordinatum arbitratu ſuo cenſeat, aut aliis omnino cauſſis, quæ in ſe minime conveniant, eſſe tribuendum, a cupiditate perſuaderi ſibi facile ſinat. Voluptas enim, qua perfuſus eſt, non a facti veritate, ſed ab imaginis oblatæ, in quam inſpicit, convenientia cum cupiditate pendet; quæ convenientia non inferitur a poeta, ſed invenitur inſita: exitus autem ac tota ſeries eventorum ingenio ſcriptoris nititur, cujus admodum eſſe ſubleſta fides exiſtimatur, quod ei minus curæ ſit, ut veritati litet, quam ut arti ſcenæque ſerviat. Quare neque prohibere poteſt, ne oblatæ ab ſe ſpecies excitent cupiditatem, neque excitatæ reprimendæ quod adhibeat frænum habet. Nam illa vi ſuapte commovetur, objecta ſibi congruente imagine; hoc ex eventorum ſerie duci debet: ſed ea, ficta cum ſit, omni momento caret ad perſuadendum eum, cui perſuaderi moleſtum & odioſum eſt.

IV. Etſi vero ſenſus, imaginatio, motuſque animi voluntati impedimento ſint, & a bono perſequendo retrahant, ubi cupiditatem expergeſaciunt, experrectamque ſuſtentant & alunt; tamen utilitatem aliquam afferre voluntati poſſunt, ſi non ſeorſum a ratione excolantur, ſed ſeſe adjungant ei comites, in ejuſque fidem & clientelam conferant. Nam interea dum ratio honeſti faciem & rerum cognitione digniſſimarum pulchritudinem introſpicit, laboris in partem advocari poſſunt eæ facultates auxiliariæ; eo pacto tamen, ut ſentiant non alias eſſe ſibi partes, quam ut intelligentiæ ſubſerviant, & qui moventur affectus tranquilli ſint, neque alio, quam quo ratio monſtrat, eſſe ſibi nitendum ſciant. Quare primum ad verum & bonum ſive planius intelligendum, ſive diſtinctius explicandum, ſive penitius infigendum, eſſe pura viſa ſenſuum debent a contagione rerum, quæ ſuavitate non ſincera deliniunt animum; deinde ſic injicienda caute ſunt, ut iis animus non impediatur, ſed ea facile poſſit ab ſe abjicere, cum primum intelligit ea ſibi non eſſe neceſſaria. Nam ſenſuum imaginibus, etſi puræ caſtæque ſint, ſi nimium abundent, veritas inobſcuratur; mens, dum hæret in

his diutius, quam oportet, irretitur; attentio diſtrahitur atque langueſcit, antequam expeditis involucris ad rem ipſam interiorem ventum ſit; voluntas denique, dum iis obſidetur & oblectatur, a ratione ſenſim ad corporea deſciſcit, & a ſinceris ad fucata delabitur. Motus autem animi voluntatis in ſubſidium recipiantur ii, qui minus a ratione remoti ſunt, & cum ea facile conſociari poſſunt, cujuſmodi præſertim eſt honeſtæ laudis amor, qua virorum de virtute civibuſque ſuis eximie meritorum integritatem & labores grata civitas & bonorum conſenſus remunerari ſolent. Amorem hunc civitates excolere ſtuduerunt, ne deeſſent umquam animo magno & erecto viri, qui ſe fortunaſque ſuas pro communi ſalute devoverent. Quare, ut narrat Tullius (*f*), apud Romanos in epulis ipſis canere convivæ ſolebant ad tibicinem de clarorum hominum virtutibus. Eumdem & in Græciæ civitatibus obtinuiſſe morem, a Pindaro ſæpe memoratum eſt, ut adoleſcentium chori laudes eorum celebrarent, qui ſolemnibus e ludis victores rediiſſent, quo ju-

(*f*) Lib. 1. Diſp. Tuſculan.

juniorum ſtudia exardeſcerent ad virtutem & alerentur.

Ω' πότνια Μοῖσα, μᾶτερ
Α'μετέρα, λίσσομαι,

(ſic Nemeonicam tertiam auſpicatur)

Τὰν πολυξέναν
Ι'κεο Δωρίδα νᾶσον Αἴγι-
ναν. ὕδατι γὰρ μένοντ' ἐπ' Ασωπίῳ
Μελιγαρύων, τέκτονες
Κώμων νεανίαι σέ-
θεν ὄπα μαιόμενοι.
Διψῇ δὲ πρᾶγος ἄλλο μὲν ἄλλε·
Α'εθλονικία δὲ μάλιςʼ ἀοιδὰν
Φιλεῖ, ςεφάνων ἀρετᾶν τε
Δεξιωτάταν ὀπαδόν.
Τᾶς ἀφθονίαν ὄπαζε
Μήτιος ἀμᾶς ἄπο.
Α'ρχε δ' ὠρανῷ πο-
λυνεφέλα κρέοντι θύγατερ,
Δόκιμον ὕμνον. ἐγὼ δ' ἐκείνων
Τέ μιν ὀάροις λύρᾳ τε κοινώσομαι.

Veneranda Muſa, mater mea, quæſo recipe te ad Æginam hoſpitalem: nam ad Aſopum flumen dulce ſonantium chorearum artifices adoleſcentuli opperiuntur te, vocem tuam expectantes. Alius alia

ex-

expetit ; at victor certaminum in primis cantum amat, opportuniſſimum coronarum atque virtutum aſſeclam ; qui fac ut uberrimus a mente mea fluat. Incipe, nubibus obtecti cæli regis filia, probatum acceptumque hymnum ; quem ego porro adoleſcentulorum vocibus & lyra communicabo.

IV. Sed cavendum eſt, ne laudis & gloriæ ſtudium, quod eſſe ſubſidio voluntati poteſt, ut ad honeſta contentius pergat hæc, ac laborem ſuperet animoſius ac fortius, locum occupet extremi, quo nitendum eſt. Nam cum hoc ſemel invaſit animum, eo tandem adducet, ut non tam quærat quod ſolidum eſt, & ipſum per ſe laudabile, quam quod homines opinionibus abducti vanis & a cupiditate inditis admirari ſolent. Quam ad rem præcavendam, non in aliqua ſingulari virtute continenter animus occupandus eſt; ſed ei vitæ actionumque finis univerſalis uſque proponendus, deque ipſo aſſequendo idemtidem renovanda mentis decreta ſunt. Sic enim fore, Baconus (*g*) ait, ut una opera ſeſe vertat & efformet animus in virtutes omnes. Atque hanc ope-

(*g*) Serm. 57.

operationem eſſe, quæ naturæ ipſius propius imitatur operandi modum; cum ceteræ, quæ in una virtute ſeorſum elaborant, imitentur opera manus circumſcriptæ admodum artificis ac limitatæ. Quemadmodum enim ſtatuarius, cum ſimulacrum aliquod ſculpit aut incidit, illius tantummodo partis figuram effingit, in qua tunc manus occupata eſt, non autem ceterarum; veluti, ſi faciem formet, interea corpus reliquum rude permanet & informe ſaxum; contra natura, cum florem molitur, rudimenta partium omnium ſimul parit & producit: haud abſimili modo, quando virtutes habitu acquiruntur, dum temperantiæ incumbimus, ad fortitudinem parum proficimus; at ſi ſeſe rectis quis honeſtiſque finibus omnino devoverit, quæcumque porro virtus fuerit, quam occaſione data fines ii commendaverint atque imperaverint animo; ad eam aſſequendam exprimendamque factis jamdudum ſeſe habilitate atque propenſione aliqua paratum imbutumque deprehendet ac ſentiet.

CA.

CAPVT VI.

De Senſu Morali.

I. CVm eorum opinio, qui virtutem appellavere quidquid angorem ac dolorem arcet, ac voluptati cavet, quæ ſeu obrepente dolore inquinata, ſeu deſidia ſuadente prætermiſſa, ſeu cupiditate ſeſe perperam obtrudente diſtracta, quidpiam ullo tempore detrimenti capiat, ſenſus unice corporis amplecti videretur; multa vero vita communis oſtenderet hominibus appetenda propoſita fuſa latius eſſe, quam ut ſenſuum eorum anguſtiis comprehendi poſſint; qui deinceps omnia eſſe voluptate ac dolore dijudicanda contendebant, ſenſuum amplificare numerum inſtituerunt, ac ſenſus ſubtiliores quoſdam excellentioreſque confinxerunt, quos (ea plane lege, qua viſum objecta ſpecies alia ſuaviter, alia moleſte afficit) alia morum affectionumque forma delectaret, alia graviter aſpereque tangeret, & ad utrumque non doctos ſed factos, non inſtitutos ſed imbutos; quippe cum ita natura comparati ſint, ut, nulla rationis exiſtimatio-

tione ſententiaque præeunte, vi ſuapte morum conformationem aliam affecti voluptate probent ac diligant, aliam affecti moleſtia condemnent atque faſtidiant. Rationi vero, ne prorſus inutilis & excluſa videretur, id unice tribuerunt, ut affectiones a natura inditas, & occaſione data excitatas provehat, ac viam expediat, qua quod appetit aut averſatur animus, inſtinctu naturæ deferente, parari ſeu depelli facilius aptiuſque poſſit. Quare munus ejus eſſe ſtatuerunt, oſtendere, non quo contendendum, ſed, quo natura trahit impulſu ſuopte, quomodo perveniendum ſit. Senſus autem interiores inditos a natura, ſeque prorſus exerentes ea lege, qua ſenſus exteriores; ita nempe temperatos, ut aliis oblectentur, aliis offendantur, ob eamque rem alia probanda, alia rejicienda nuncient, ac ſibi conſentaneis affectionibus inſitis & inuſtis in animo occaſionem ad erumpendum offerant; eo ſpectare ſtatuerunt, ut ſe quiſque conſervet, ac ſeſe amet; generis perpetuitati conſulat; ex ſe natos caros habeat, eiſque proſpiciat; alios ita benevolentia complectatur, ut horum commodis augendis ultro ſtudeat; pulchritudine recte ab ſe factorum animadverſa delectetur, & in ea delectatione conquieſcat;

ſcat ; prave contra ſuſceptorum obverſante turpitudine diſtrahatur , & conſcientia , cujus magna vis eſt in utramque partem , exagitatus pœnas luat. Senſuum horum expletionem eſſe ſic homini commendatam , ut nullus in ea ſit deliberationi locus ; neque magis eſſe quærendam cauſſam , cur expetatur , quam cur nares , oculos , aures , odor unguentorum , partium apta temperatio conſenſioque , ſonorum concentus jucunde moveat. Sic enim eſſe comparatum animum , ut cum primum ea percipit , quæ ſenſibus iſtis accommodata ſunt , iis alliciatur ; & ab ſe ſuſcepta cogitans læte ferat , ab aliis effecta videns in laude ponat , & ſtudioſe libenterque comprobet. Morali vero ſenſui ſubjecerunt ea , quæ , nulla propria utilitate propoſita , commodis aliorum proſpicit ; eiſque contineri virtutem , ac virtutis decus & laudem ex iis unice derivari voluerunt : quo fit , ut quæ ad ipſum per ſe quemque pertinent , cum ea quiſque ſui gratia faciat , etſi convenienter apteque naturæ facta ſint , annumeranda non putarint in cenſu virtutum ; ſed ideo tantum eſſe commendatione digna , quod animus iis ablatis ineptus omnino ſit ad ea præſtanda , quæ proſint ceteris ; cum aliena commoda qui ſuis commo-

mo-

modis ânteferre debeat, moderatione cupiditatum, & æquabilitate, conſtantia, magnitudine animi carere nullo modo poſſit.

II. Senſus moralis, eoque circumſcriptæ virtutis, a Cumberlando fundamenta jacta quis exiſtimet, ac levem adumbratam ſpeciem, cum in eo totus eſſet, ut Hobbeſii malevolentiæ, qua ſibi viciſſim incommodant homines eo cenſente naturæ ſtimulis acti, benevolentiam ex adverſo poneret in humanæ naturæ conſtitutione ſic implicatam, ut ſi nulla prava cupiditate adventitia repreſſa ſit, hominem homini ſponte conciliet; ad opem ferendam alliciat, ope lata jucunda ſuavitate perfundat, & recordatione grata perceptæ jucunditatis fructum proferat, ac numquam inobſcurari ſinat. Principium id antea commendatum a Stoicis, Epicteto præſertim & Antonino, qui, cum homines incluſos univerſitate rerum unum quiddam efficere arbitrarentur, hos tum inter ſe, tum cum univerſa natura conſentire debere conficiebant, ac legibus unum quiddam ex multis efficientibus adminiſtrari, ne naturæ convenientia, cognatio, conſenſus abrumpatur; emendatum autem a Cumberlando, ſaniuſque ductum ex eo, quod omnis intelligentia præditæ naturæ conſtitutio ſic a Deo

deſi-

Digitized by Google

deſignari debuit, ut intelligentium omnium voluntates ac ſtudia ſe mutuo complecterentur, eodemque conſpirantia tandem in voluntatem univerſa moderantem undique confluerent, in eaque conſiſterent; arripuit excoluitque Saphtesburius, at alio detorſit, & infecit opinione ab eo penitus imbibita, eſſe ſcilicet hominem ita natura conſtitutum, ut lege nulla nulloque moderatore egeat, & juris omnino ſui ſit; eſſe quemque natura præditum affectionibus ad commune bonum aptis, ideoque ſic eſſe inſtructum & paratum ad ea quæ honeſte gerenda ſint, ut nulla lege accedente, qua dirigatur, ac nulla pœna nulloque præmio propoſito, quo moveatur, ipſa ſe natura deferat, ac nihil ultra ſpectans in actionis honeſtate conquieſcat. Itaque non ratione, ſed innato ſenſu, percipi quæ conſtitutionem humanam deceant ac dedeceant; guſtum quemdam ingenuis artibus atque ſtudiis expolitum eſſe recti regulam, honeſtique legem ac judicem; eſſe ſervilis ingenii præſcripto coerceri, ſpe metuque contineri in officio: qua doctrina fit, ut novo nomine qui bene moratus & ita conſtitutus ſit, ut ratio poſtulat, urbanus & elegans; qui contra nequam ſit & improbus, agreſtis, impolitus, rudis, & humani cul-

cultus expers appellari debeat. Porro cum non ex mente ac ratione ſedata, matureque rerum inter ſe conſenſus ac diſſenſus expendente, ſed ex affectione ſeſe vi ſuapte promente, morum atque conſiliorum bonorum & malorum arceſſendum eſſe diſcrimen arbitraretur; in moribus autem & conſiliis affectiones æque bono communi repugnantes ac faventes in vita ſeſe prodere compertum haberet; ideo, ne recti pravique regula confuſa incertaque ſcrupulum atque dubitationem injiceret, ac judiciis inter ſe maxime diſcrepantibus argumenta ſuppeditaret, ſatis eſſe ratus eſt ſi diſpertiret affectiones in naturales & adventitias; illas per ſe rectas & a natura fuſas, has a natura prorſus abhorrentes & per ſe malas. Quare perinde ac ſi nulla mali ſemina penitus infixa laterent in natura noſtra, poſtquam ex integritate nativa decidit, quidquid apparet in ea mali putavit extrinſecus accedere, perſonamque peregrinitatis induxit in humana natura penitus implicatis affectionibus; cum affectiones a natura diſſentientes affectiones ipſæ ſint, quæ ſunt in natura inſitæ, ſed alio detortæ, depravatæ, longiuſque porrectæ quam neceſſe ſit.

III. At cum Saphtesburius, etſi dicta ſint ab eo

 mul-

Digitized by Google

multa de conſtitutione animi conſignatam impreſſamque formam integram & incorruptam honeſti gerente, atque de ſenſu inſito vi ſuapte pulchritudinem honeſti percipiente, perceptæque pulchritudinis amorem excitante; tamen ea ſparſim effudiſſet, inter ſe minime continuata, & quidquid ad virtutem opus eſt ita ſenſui morali tribueret, ut rationem in partem admittere videri poſſet, altius inſidentibus iis, quibus ex doctrina Platonis atque Stoicorum imbutus erat, quam ut excuti penitus, & a novis adjunctiſque ſecerni poſſent; Hutcheſonus rem inordinatam adduxit in ordinem, diſſipatam colligavit, confuſam diſtinxit, ac ſenſui morali ſic omnia tribuit, ut rationem non ducem ejus ac præſidem, ſed pediſſequam ac ſatellitem eſſe profeſſus ſit. Senſus moralis eſſe munus id probare, quod a bene merendi voluntate prodeat; id improbare, quod animum ex aliorum incommodo ſua commoda comparandi ſtudioſum indicet; aut cum de malis agitur alienis amoliendis, ac bonis proferendis, intactum eſſe remiſſum & quietum ſinat. Eo ſublato ſenſu, rerum cum ratione vel inter ſe convenientiam, quæ cum æterna ſit, principium & lex honeſtatis exiſtimari vulgo ſolet, habere nihil omnino quod ad

ad appetendum aut approbandum moveat; cum æque recte praveque facta congruere cum ratione, vel inter ſe convenienter apteque cohærere poſſint. Nam æque verum eſſe, juſtitia promoveri ſocietatis incolumitatem, alique ſedulitatem atque ſollertiam, atque injuſtitia lædi ſocietatem, induſtriamque retardari. Aeque miſericordiam eſſe aliorum afflictis rebus allevandis opportunam, & a miſeriis augendis alienam, atque feritatem incommodis afferendis aptam, & a rebus proſtratis erigendis averſam eſſe. Quo fit, recta ſeu prava conſilia definiri non poſſe ex eo, quod extremo propoſito ratiocinando conſentanea ſeu diſſentanea deprehenſa ſint. At affectione inſita, ſenſuque morali conſtituto, ſeſe ſtatim uſum efferre, qui rationi, rerumque conſequentiæ ſeu repugnantiæ perceptioni, tributus eſt. Affectionis eſſe, ſimul ut ſibi conveniens quidpiam objicitur, id expetere, ſenſuſque moralis appetitioni plaudere; rationis autem id expiſcari, ſuiſque momentis expendere, quod eo ducat, & efficiat, ut quis in eo genere maximum aſſequatur, cujus aſſequendi poteſtatem habet; eumque rationi convenienter agere, qui, quæ ab ſe conferri poſſunt ad eam rem, omnia circumſpiciat; æſtimet accurate quid

a ſingulis expectari queat ; eaque deligat ac ſuſcipiat , quorum adminiculo quod affectio naturalis appetit , expletius adipiſcatur, ac purum quantum poteſt ab omni rerum earum admixtione, quas eadem a natura indita affectio repudiat. Præterea rationis eſſe, perveſtigare quibus ex actionibus efflorefcat uberrime commune bonum ; hunc eſſe campum ampliſſimum, in quo ſe jactet eorum induſtria, qui ratiocinando proferre naturæ leges inſtituunt ; in eaque re multa vera certa immutata deprehendi. Poſtremo cum inductu quisque naturæ bonis æque ſuis atque alienis ſtudeat ; cffici vero ſæpe ſoleat , ut aliena putet adverſari ſuis , ideoque morali ſenſu fruſtra repugnante ſui cauſſa ceteris offutura conſilia capiat ; in eo quoque magnum eſſe rationis uſum , ut oſtendat eſſe natura colligatum cum bono communi bonum cujuſque ſuum, & cauſſas evolvat, cur qui ſua commoda promovere ſtudet , aliorum una commodis inſervire debeat : idque tam præclare factum ab antiquis eſſe ac novis, ut qui rem expendat, arbitrari nequeat, neglecto ſeu violato communi bono, repreſſaque caritate inſita, ſibimetipſi prodeſſe ſeſe tuto poſſe ; ſed etſi nullus a natura diligendi ſenſus ac nulla benevolentiæ caritas indita
fuiſ-

fuiſſet, fore tamen, ut utilitate ipſa ſua ſeſe ad caritatem atque benevolentiam aliena commoda promoventem adductum impulſumque ſentiat.

IV. Honeſti formam hanc ab Hutcheſono non excogitatam, ſed enucleatam expolitamque, ſuſcepit Humius, & ſic interpolavit alligavitque principiis ab ſe de vi & natura mentis affectionumque conſtitutis; ut ab eo plane inventa & adornata videri queat; & inſtinctum ad commune bonum urgentem, ac ſenſum approbantem quidquid ea mente factum ſit, improbantemque contraria, quem inditum a natura, primumque principium ac ſimplex honeſti putavit Hutcheſonus, aliunde natum & ſecundarium Humius arbitratus eſt, ac derivavit ex voluptatis & ægritudinis ſenſu; eoſque ſenſus oriri contendit ex ſympathia, aut cognatione & convenientia in humanæ naturæ conſtitutione penitus inſidente, qua fit, ut iis quiſque delectetur, quæ ceteris utilia ſeu jucunda percipit; & quidquid ad quemque pertinens elationem animi ſeu demiſſionem in eo procreat, id ad alios pertinens in ipſis offenſionem aut amorem excitet. Quadruplicem hanc affectionem animi ſic eſſe cum virtute vitioque conjunctam au-

autumat, ut, cum de qualitatibus agitur animi, virtutem ac vim excitandæ benevolentiæ & elationis animi; vitium ac vim excitandæ malevolentiæ demiſſioniſque animi æquivalere putet, alterumque ex altero judicandum eſſe: pronunciandumque participem honeſtatis habitum eum animi, qui benevolum aut elatum efficit; expertem autem eum, qui infenſum ac malevolum, vel demiſſum humilemque reddit. Atque ut paucis indicetur, unde diſcedens & quam viam ſecutus eo progreſſus ſit, nihil umquam eſſe menti præſens ſtatuit, præter perceptiones; eoque referri quidquid ei videnti, judicanti, diligenti, averſanti, cogitanti accidit. Perceptiones autem in impreſſiones ideaſque diſpertiri; mentiſque munus omne in eo verſari, ut aut abſtractos inter ſe reſpectus idearum, aut rerum, quæ ſenſibus objiciuntur, a ſenſibus oblatos animadvertat. Itaque virtutis originem indaganti quærendum eſſe, num ſenſuum an idearum ope virtus ac vitium inter ſe diſtingui, laudandaque facta ſeu vituperanda pronunciari poſſint. Qui ſtatuunt, ideo quidpiam honeſtum eſſe, quia cum ratione congruat, ac virtutem ex immutabili rerum inter ſe convenientia mente percepta repetunt; id idearum adminiculo decer-

ni

ni autumant. At cum virtutis ac vitii percepta notio plurimum ad actiones affectioneſque conferat; abſtracta vero ratiocinia conſiſtant ipſa per ſe, neque cum iis, in quibus omnis actio verſatur & affectio, rei quidquam habeant; in ratione, quæ principium eſt in ſe conquieſcens, ac nihil molitur, nihil agit, ad actiones aut promovendas aut prævertendas momentum nullum eſſe. Contra, doloris ac voluptatis objecta ſpecie, commoveri averſationem ac propenſionem; atque ad alterum depellendum, alteram adjungendam incitari animum. Quia vero non in ea re ſola ſubſiſtit motio, quæ dolorem aut voluptatem illatura providetur, ſed ſeſe ad omnia porrigit, quæ cum ipſa re conjuncta ſunt, & effectus inter ſe cauſſæque reſpectum obtinent; nexum eum & reſpectum explorare, rationis, experientia facem allucente, munus eſſe; impulſumque tuto provehere, qui niſi præſenſione moleſtiæ ſeu voluptatis excitatus ſit, efficientis & effecti reſpectus exploratus animum eſſe plane quietum & otioſum ſinit. Si nullam appetitionem affectionemque ratio poteſt injicere, ne cohibere quidem, eique repugnare poſſe: cum ejuſdem facultatis ſit indere motum, inditumque retardare; motuſque omnis

animi motu contrario retundi debeat. Quo fit, ut ratio facultate reſiſtendi careat affectioni, quæ ſuſcitata ſit; ratio miniſtra ſit & famula motuum animi; eique non altius aſpirare liceat, quam ut motus animi ſequatur, eiſque ſerviat. Nam omnem affectionem ſubſiſtere ipſam per ſe, neque conditionem eam habere, ut ad aliud referatur, & alterius cujuſpiam imago ſit: quocirca rationi ſeu veritati numquam adverſari poſſe, cum ea contrarietas inveniri tantummodo poſſit in idearum inter ſe diſcrepantia, quæ rerum, quas exprimunt, imagines & ſimulacra ſunt; ideoque fieri poteſt, ut ab exemplo diſſideant. Affectio quidem adverſa rationi videri poteſt, cum ea falſo fundamento nititur, aut ad ejus expletionem inepta ſeu præpoſtera deligantur. At non affectio falſa, ſed judicium abſurdum eſt. Non pugnat cum ratione, ſi quis bono majori minus anteferat, ac vehementius expetat; cum fieri poſſit, ut bonum exiguum, implicatione varia rerum incidente, cupiditatem, quam excellentius, acriorem pariat, eo pacto, quo momentum gravius in mechanicis, adjuvante ſitu, ſuperari leviore poteſt. Quare quid in conſiliis actiſque rectum aut pravum ſit, intelligentia nullo pacto defini-

ri,

ri, neque ratiocinando concludi poteſt ex rerum inter ſe convenientia ſeu diſcrepantia. Nam, ſi recti pravique fines intelligi ſtatuique ratione poſſent, eſſe neceſſario futurum, ut inſignita virtutis ac vitii nota quædam ex immutabili rerum inter ſe reſpectu, vel ex eventorum inter ſe certa ſtabilique colligatione, mentem adhibentibus eluceret. At cum reſpectus inter ſe rerum, qui ſcientia comprehendi queant, alii nequeant afferri, quam qui ſimilitudinem, oppoſitionem, qualitatum gradus, ac rationes magnitudinum ac numerorum ſpectant; ii vero ſinguli peræque ad irrationalia & inanima pertineant, atque ad appetitiones affectiones actionesque humani animi; ſi reſpectus ii conſtituerentur fundamentum ipſi per ſe honeſtatis, ab honeſtate ſecluſa non eſſent ipſa rationis expertia ſenſuque carentia. Qui parentem, a quo vitam hauſit, interimat, flagitioſus eſt: cum idem reſpectus intercedat inter arborem, & ſobolem ex ea natam, eiſdemque nixam radicibus; ſi late ſe fundens hæc excreſcenſque parentem opprimat, aut e terra ſuccum ad ſe trahens enectam interire ſinat, inique pariter indigneque faciet. Inceſtum in homine ſtuprum exiſtimatur ubique gentium aver-

averſum a natura fœdiſſimumque flagitium: at in brutis omni turpitudine caret, eiſque nullibi vitio tributum umquam fuit. Rationi, qua valet homo, ſtirpeſque carent, ac leviter utuntur belluæ, quis acceptum id referat? Ratio rei turpitudinem inſpicit, non ut ſit efficit; non gignit, antea cum non eſſet, at in reſpectu latentem inſidentemque invenit. Porro non modo reſpectus idearum inter ſe, ſed nexus etiam effectus & cauſſæ, qui deprehenſus experiundo ſit, ad virtutis ac vitii vim inveſtigandam & agnoſcendam afferre nihil omnino rationi poteſt. Homicidium expendatur, & undique circumſpiciatur. In eo nihil apparet ad effectus & cauſſæ nexum pertinens, præter affectiones quaſdam, impulſus, & ſuſcepta conſilia. Quoad ipſa res unice ſpectatur, vitium omnino fugit; ac tum ſolum ſe dat in conſpectum, cum ſeſe quis in ſe convertit, ac ſenſum id improbantem animadvertit. Ibi factum quoddam & eventum eſt; at id attingere non ratione ſed ſenſu tantum interiore datur; idque non in re propoſita, ſed in animo cujuſque locum habet. Itaque cum pronunciamus actionem aliquam aut affectionem animi vitioſam eſſe, nihil aliud intelligimus, quam ita nos eſſe factos, ut ea,

ſimul

ſimul atque ſe nobis objicit, ingratum in animo ac moleſtum ſenſum excitet, eoque ſenſu decernente vituperari ſoleat: quo fit, ut vitium ac virtus comparari poſſint apte cum odore & colore, ſono, calore & frigore, quæ non inhærentes in re qualitates, ſed animi perceptiones ſunt.

V. Quod igitur in moribus & conſiliis pulchrum ac turpe, laudandum ac vituperandum eſt, non idearum inter ſe convenientia decerni, ſed interiore ſenſu tangi, qui cum ſubtilis ac lenis ſit, cum idea facile confundi poteſt ab iis, qui quæ parum inter ſe diverſa ſunt, eadem eſſe plane cenſere ſolent. Senſus autem ejus indolem eam eſſe docet uſus quotidianus, ut excitatus a virtute jucundus, a vitio moleſtus ſit. Nihil ea & oblectabilius & amabilius actione, quæ prodeat a magno erectoque animo; nihil ea fœdius & inviſius, quam animus infidelis & immemor humanitatis offerat. Quare cum ſenſus, ex quo bonum ac malum morale diſtinguitur, nihil ſit aliud, quam voluptas quædam ac moleſtia peculiaris; qui quærat, quæ morum indoles obſervantem oblectet, ea opera quærit, quid virtus ſit. Senſu virtutis affici nihil eſt aliud quam affici voluptate, peculiari quadam objecta conſtitutione ani-

animi, quæ ſeſe in conſiliis & factis explicet. Ipſe ſenſus admirationem approbationemque conſtituit. Indolem animi non ex eo concludimus honeſtam eſſe, quod, ea propoſita, voluptate perfundimur; ſed honeſtam eſſe ſentimus, ut pulchra ſentimus ea, quæ certo modo quodam oculos afficiunt. Approbatio penitus eſt implicata cum voluptate, quam oblata ſpecies invehit. Si quæratur, unde voluptas, quæ virtutem diſtinguit, in animum illata, & quibus ex initiis excitata ſit; non omnem eſſe naturalem inſitumque ſenſum ait in ipſa conſtitutione animi, cum infiniti quodammodo ſenſus ii ſint, & plurimis uti principiis, ubi pauciora ſatis eſſe poſſunt, abhorreat a ratione ac via naturæ uſitata, quæ paucis ac ſimplicibus uſa legibus varietates omnes in univerſo conſpiciendas efficit. Quocirca primarii motus inſtinctuſque contrahi debent, & cogitari principia ſimpliciora, quæ virtutum ſingularum ſenſum inferant: quæ non in natura omnia, ſed in alio quoque fonte perveſtiganda ſunt. Quare ſenſum aliarum virtutum eſſe naturalem, aliarum adventitium, ex gentis humanæ conditione varia, variaque vitæ neceſſitatum implicatione gradatim invectum; qui tamen æque conſtans & certus ac

na-

Digitized by Google

naturalis eſt. Ex artificio non naturæ, ſed hominum, extitiſſe juſtitiam, etſi natura, quæ providum hominem effecit utilitatum opportunitatumque omnium, paratum in intelligentia judicioque remedium indiderit perturbationum incommoditatumque vitæ, quarum in affectionibus injecta ſemina ſunt & initia. Ex vitæ diſſipatæ moleſtiis ortum habuiſſe ſocietatis compoſitionem; inſtituta ſocietate, facta quædam eſſe cujuſque propria; eorum, quæ ſua cuique relicta ſunt, inductam eſſe juſtitiam conſervatricem; utilitate juſtitiæ explorata, damnoque per aliorum injuſtitiam aliis importato, tum etiam cum abrepti cupiditate detrimentum inferentes ipſi non animadvertimus, animadverſo, interpoſito ſenſus alieni ſenſu, participare quemque a moleſtia, quam alii percipiunt ex aliorum injuſte factis: cum autem vitium id appelletur, quod in factis diſplicet, ac virtus quod oblectat, eſſe in proclivi poſitum, ut boni malique moralis ſenſus juſtitiam injuſtitiamque conſectetur. Quare ſuo cujuſque commodo impulſos homines invexiſſe juſtitiam; naturæ vero conſenſum, quo fit, ut homo hominis tangatur bono, morale decus ad juſtitiam adjunxiſſe.

VI.

VI. Quod autem attinet ad virtutes effuſas ex natura, non ex hominis artificio, cum demonſtratum ab ſe putaret, ab animorum inter ſe conſenſu, vel ſenſu mutuo rerum earum in animis indito, quæ ceterorum utilitatem tuentur ac promovent, aut oblectationi ſerviunt, impreſſam eſſe juſtitiæ virtutis notam; ne cauſſæ plures quam neceſſe ſit obtrudantur, in idem omnino principium eſſe refundendas contendit virtutes naturales eas, quæ nituntur in bonum, a quo multi participare poſſunt. Mentes hominum eſſe ſimilibus inſtructas ſenſibus, & affectionum earumdem participes. Vt in fidibus nervi pulſis aliis alii reſonant; ſic affectiones ex aliis in alios demigrant, eoſdemque motus cient. Ex affectionum indiciis in voce geſtuque perſpectis mens ad cauſſas excurrit e veſtigio, harumque idea tam alte inditur, ut in affectionem reſpondentem abeat. Similiter ex cauſſis perſpectis affectionem alterius divinamus, eaque commovemur. Ex ea quaſi tranſmiſſione motuum & affectionum habet animus, ut ſenſu pulchritudinis affectus ſit. Quod enim ita comparatum videtur, ut poſſeſſori voluptatem aut utilitatem afferre poſſit, id ex conſenſu ſpectatorem oblectat, & pulchrum dicitur.

Non

Non aliunde ſenſum virtutis in animum influere perſpicue in juſtitia deprehendi. Nihil ea pulchrius amabilius æſtimabilius. Vt virtus ſit, ei non ideo datum eſſe, quod bonum commune parit. At ſi bonum commune nobis eſſet indifferens, ejus inſtrumenta negligeremus. Ne vero ſit indifferens, conſenſus efficit; ideoque conſenſus, ut bono communi, ſic juſtitiæ boni communis adminiſtræ tribuit; ut amabilis & approbanda ſit. Sicut autem virtutes artificioſas, ita naturales multas, eſſe boni ſocietatis effectrices, leviter etiam animadvertenti patet. Manſuetudo, beneficentia, moderatio, lenitas, æquitas, excelſitaſque animi ſociales appellari virtutes ſolent. Quare conſenſu fit, ut e nobis ipſis effuſi probemus affectiones has in aliis, eiſque perinde delectemur ac ſi noſtris ipſis commodis inſervirent. Qui conſenſus in virtutibus hiſce, quam in juſtitia, acrius animum ac penitius afficit; magis enim movetur imaginatio ſingularibus & explicatis, quam confuſis generalibus & indefinitis. Iuſtitiæ vero non unuſquiſque ſeorſum actus, at ſumma, quæ ex omnibus confecta ſit, bonum commune parit; idque bonum non ad unumqemqne ſeparatim a reliquis, ſed ad omnes univerſe pertinet. Humanitatis au-

tem

tem ac beneficentiæ ſingillatim omnis actus utilis ac ſalutaris eſt, ac prodeſt non omnibus univerſe, ſed ſeorſum ſingulis, iiſque præterea dignis habitis ut beneficium accipiant.

VII. Ex natura vero non modo virtutes eæ, quæ proſunt aliis, ſed etiam eximiæ multæ, quæ juvant habentem aut oblectant. Prudentia, temperantia, frugalitas, aſſiduitas, induſtria, dexteritas, eorum, in quibus inſident, utilitati conſulunt, nec minore, quam bonitas ac liberalitas, in laude poni ſolent. At virtutes æque privatas ac ſociales ex animorum inter ſe conſenſu pendere, conſuetudo quotidiana docet. Si quis affectionibus ad aliorum utilitatem accommodatis non admodum deſtitutus, is eſſe videatur, qui præditus agendi cogitandique ſollertia ſeſe magnis difficultatibus expedire, eximieque ſua commoda promovere poſſit; huic extemplo conciliamur, ad eum æſtimandum continuo allicimur, ejus aditu congreſſu colloquioque delectamur, ac nondum ulla devincti conſuetudine magis ei, quam aliis, ad operam navandam atque adhibendam propenſi ſumus. In eo nihil ſpectatur aliud, quam quod ei commodum & opportunum eſt. Animi conſtitutio, quæ delectat, ideo comprobatur, quod ad aliquid adi-

pi-

Digitized by Google

piſcendum inſtrumentum accommodatum eſt ; eoque approbatur magis , quo deprehenditur aptior ad illud eſſe quod habet propoſitum. Itaque propoſitum ipſum delectat & approbatur. At propoſitum pertinet ad hominem non amicum , non neceſſarium, ſed extraneum & alienum; quapropter ut delectet & approbetur, ex eo fluit unice, quod ita natura comparatus eſt animus , ut ab alieno ſenſu non intactus ſit ; hominemque res hominum iis utilitatem & oblectamentum afferentes moveant.

VIII. Igitur Humio judice virtus dicitur qualitas omnis animi , quæ perſpecta delectat ipſa per ſe. Voluptas ea manat ex fonte quadruplici; nam perſpecta delectat omnis animi conſtitutio, quæ voluptatem aut utilitatem tum ei, qui ſic affectus ſit , tum aliis afferre poteſt. Vt autem quis aliorum affici voluptate vel utilitate poſſit, ex ſenſus alieni ſenſu pendet , quem natura penitus indidit in humanis animis. Magna vis hujus eſt tum etiam cum ſolus agit, alio nullo ſubſidio conſpirante , quemadmodum in juſtitia ceterisque virtutibus hominum ingenio pro varia vitæ conditione oborta conſtitutio. Adjuncta omnia, quæ vim conſenſus intendere poſſunt , in virtutes

naturales confluunt, quæ ſocietatis, aut ejus ipſius, in quo ſunt inditæ, bono ſerviunt. Fundamentum itaque virtutis conſenſus eſt, qui ſe voluptate, voluptatiſque comite comprobatione explicat. Senſum moralem eſſe principium inhærens in animo, & elementum humanæ conſtitutionis eximium; at ſenſus is vim novam acquirit ubi fontem, ex quo ducitur, approbat, originiſque ſuæ dignitatem ac nobilitatem percipit. Qui ſenſum moralem refundunt in inſtinctum a natura inditum in humanis animis, ii cauſſam quidem virtutis tueri poſſunt; ſed carent adjumentis, quibus inſtructi ſunt ii, qui ſenſus hujus ortum repetunt ex conſenſu, qui late porrigitur, & genus univerſum amplectitur. Ex horum opinione non modo virtus approbari debet, ſed ſenſus etiam virtutis; neque ſenſus tantummodo, ſed etiam initium, ex quo derivatus eſt.

IX. Quæ magna opera, multo apparatu, ſummaque fidentia protulerunt Hutcheſonus & Humius, ut rationem exturbarent, ac ſenſum moralem inveherent honeſti pravique moderatorem ac judicem, antiqua nonnulla, quædam inania, male plurima concluſa ſunt. Quicumque percipiendi movendique ſui vim in animo agnoverunt,

fa-

Digitized by Google

facultates aſcripſerunt ei duas, intelligentiam & voluntatem, & rerum alteri cognitionem, appetitionem alteri tribuerunt. Eſſe natura comparatum animum deprehenderunt, ut ſe vi ſuapte moveat ad ea, quæ conſtitutioni ſuæ, corporiſque ſibi tributi, profutura percipit, eo fere pacto, quo fœdus animi corporiſque efficit, ut ideas excitatas in mente motus in corpore conſentanei comitentur, ac viciſſim motibus corporis ideæ mentis aptæ reſpondeant. Quocirca rationis eſſe non indere vim in animo, qua ſe moveat, ſed id unice, quo ſe moveat, ei proponere cenſuerunt: cum animus ut ſe moveat, ab ſe habeat, occaſioque tantummodo movendi ſui ei aliunde expectanda ſit; occaſionem autem afferat explorata rerum aut opinione concepta convenientia cum natura ſua, corporiſque ſtatu optimo, quod ei moderandum obtigit. Naturæ vero ſuæ quid aptius eſſe poteſt, quam rerum inveſtigatio, quæ notam ejus, quod ipſum per ſe eſt, inſignitam adeo præferunt, ut ad ejus intelligentiam evehant, & in ejus admiratione detineant, eique cultum adhibendi ſtudium alant atque augeant? Corporis autem optimæ conſtitutioni nihil nemo quidpiam excogitabit opportunius, quam quod id paratum inſtructumque

Digitized by Google

reddit ad inſerviendum animo non modo ſtudenti perfectioni ſuæ, ſed commodis iis etiam humanæ vitæ proſpicienti, quæ naturam intelligentem, & corporis interpoſitu divino plane artificio elaborati tantis ac tam multis peragendis parem deceant.

X. Quicumque vim animo ſui movendi tribuunt, ii nullo inſtinctu egent, qui neceſſarius iis eſt, qui motu animum externo & alieno cieri volunt. Adeo vero non cietur animus alieno pulſu, ut motuum omnium initium & cauſſa ſit, quemadmodum a Baxtero demonſtratum eſt ex inertia ſeu reſiſtendi vi, quæ tam in materia penitus inhæreſcit, ut, niſi migret in naturam aliam, amittatque ſuam, ab ea ſeparari nullo modo poſſit. Si vocet quis inſtinctum eam animi affectionem, qua fit, ut eo delectetur, atque id appetat, quod ſibi ſeu corporis incolumitati convenire ſenſerit, is nomen inducit novum, at rem pervagatam notat: nam inſtinctus ille, cum, ne cæcum quiddam ſit, habere præeuntem debeat mentis perceptionem, id ipſum eſt omnino, quod appellari voluntas ſolet, cujus eſſe vulgo dicitur in ea niti, quæ boni formam expreſſam aut ſpeciem adumbratam præ ſe ferant: perperam autem incerta vox obtruditur, ut uſitatæ conſti-

tu-

tutæque locum occupet, cum extrinſecus injectum quidpiam deſignet, atque cognoſcendi quo tendere deceat, eoque tendendi vim abeſſe indicet a natura, cui pulſus exterior addendus ſit. Quare quæ longius a ratione abſunt cogi magis inſtincta debent ad ea, quæ conſervationi ſuæ neceſſaria & opportuna ſunt; ideoque licet Hartlejus æſtimator malus ſit naturæ viriumque humani animi, tamen agnoſcit ex analogiæ legibus eſſe concludendum, ut in brutis, quæ ratione parum admodum utuntur, inſtinctus prævalet, ſic in homine, qui ratione maxime valet, uſum inſtinctus eſſe perexiguum oportere.

XI. Sicut autem vanum & intutum eſt, inſtinctum impulſumque ſubſtituere voluntati ad ea ſeſe vi ſuapte conferenti, quæ conſtitutioni corporis animique accommodata viſa ſunt; ita rationi ea demonſtranti & approbanti ſurrogare ſenſum moralem, æque non opportunum, aut etiam ſuſpectum eſt. Senſus enim adeo præſentibus alligatur, & ex impreſſione aliena pendet, ut ejus omnis functio momento temporis expleta ſit, atque non agat ipſe quidpiam, dum munere ſuo fungitur, ſed alterius actionem in ſe recipiat. At ratio multa complectitur, interque ſe comparat;

gradatim ad aliud ex alio progreditur; & quæ ſpectata ſeorſum approbanda videri poſſent, ex iis, quæ connexa ſecum habent, eſſe repudianda intelligit: quo in progreſſu complexuque perceptionum actuoſa vis animi plurimum elucеſcit. Porro ſenſus perceptiones uſu mutari cernimus. Sæpe ſenſilis impreſſio moleſtiam initio, conſueſcendo voluptatem parit; ſæpe jucunda primo, porro deſinit in faſtidium aut indifferentiam. At quæ ratione dijudicantur eamdem ſui ſpeciem ei conſtanter exhibent, & æque ſemper afficiunt: quo fit, ut ratio firmiter ea calculo ſuo probet aut condemnet. Itaque ſi quæ cum natura noſtra congruunt, ejuſque perfectioni ſerviunt, oſtendat approbetque ſenſus; nihil in eo judicio certum eſſe perpetuumque poteſt.

XII. Neque ſolum ex eo ſenſus is incertus eſt, quod voluptas ex omni ſenſu capta conſuetudine retunditur, ac paullatim inobſcurata evaneſcit, & oſcitantem animum eſſe ſinit; verum etiam innumeras ex implicatione multiplici perceptionum, ac nova ſubinde compoſitione, varietates habet, quas inſtituta, diſciplina, mores, vitæque caſus intercurrentes afferunt. Quare ſæpe factum eſt, ut affectionem eamdem animi, cum

ea-

eaque congruentes actiones alii laudent, alii vituperent; alii jucundas, ingratas alii ſentiant, pro diſciplinæ ſtudiorumque diſſimilitudine, quibus aſſueverunt. Ac ſi quid in eo conſtans perſpicitur, non alia de cauſſa ſit, quam quod homines inſtructi facultatibus eiſdem animi, conditionibus eiſdem orti, ſimiliterque rebus ad conſervationem ſui pertinentibus indigentes, in vitæ caſus eoſdem incurrunt, ac ſenſum eumdem rerum aſſueſcendo, ſenſuique reſpondentem opinionem imbibunt. Itaque non ipſa natura, ſed uſus eum ſenſum indidit. Non innatus is eſt, ſed adventitius; cum innata quæ ſunt, ultro ſe promant, & immutata permaneant; ſenſus autem varius indole ſuapte ſit, ac ſui ſæpe diſſimilis. Nam perceptionum compoſitionibus idemtidem implicari debet ac variari; quæ tanto ſiunt implexæ magis, quo varietates in vita plures accidunt, eo fere pacto, quo compoſitiones infinitæ corporum ex elementorum inter ſe varia conſociatione manant, ac novæ qualitates prodeunt a qualitatibus elementorum omnino diverſæ, quibus ita ſimplices & primigeniæ elementorum qualitates obteguntur, ut internoſci porro nequeant. Ex compoſitionibus perceptionum inoleſcunt in animo propenſiones &

Digitized by Google

affectiones, quæ roborantur uſu, motuſque multos interiores ad ſe trahunt, ac viciſſim a multis excitari atque foveri poſſunt. Quo ſit, ut ſiſtere ſe præſentes animo ſæpe queant, & excitatæ motuum initia multa conſpirantia ſecum afferant; ideoque conſentaneæ naturæ videantur, cum etiam invocatæ ſeſe obtrudant, nobis adſint, eiſque nihil obſtrepat ac reſiſtat. Verum ut elementa corporum pauca ſunt a parente naturæ conſtituta, compoſitiones autem horum omnigenæ, quæ non a natura primitus oriuntur, ſed ex virium primigeniarum elementis inditarum inter ſe varia temperatione profluunt, ac numquam conſiſtunt, ſed aſſiduæ mutationi ſubjacent; ſic etſi multigenerum affectionum animus compos humanus ſit, non omnes a naturæ conſtitutione manant, ſed exiſtunt e varietate rerum & eventorum; aliis aliæ facilius prodeunt expeditiuſque, prout implicationes perceptionum aliis aliæ prius ac ſæpius incurrunt in homines indiſcriminatim, iique vim mentis aliis alii celeriorem uberioremque habent, diligentius intentiuſque colunt, & inſtrumenta ſenſuum ac motuum aptius inter ſe temperata habent. Ergo quos indiderit ipſa natura, quid inditis adjunctum ſit, expedire non eſt

in

in proclivi poſitum. Priuſquam enim animadvertendi facultas evoluta ſit, perceptionum affectionumque compoſitiones innumeræ coaluerunt; quæ, ſimul ut animadvertendi facultas expedita prodit, ei tamquam indigenæ, non aliunde natæ, ſeſe commendant atque approbant. Hæ ſinceræ videntur, ex eiſque decernendum eſſe quid humanam naturam deceat; aliæ putantur adſcitæ, ſuſpectæ, doloſæ, fucatæ, ſæpe nativis adverſæ, nonnumquam aptæ. Tamen utræque, ſi ſpectentur ipſæ per ſe, peræque modum non habent. Modus enim ex univerſa conſtitutione definiendus eſt. Quare decerni non poteſt ex iis unice, quid univerſæ naturæ nostræ conveniat; ideoque virtus ex alia regula duci debet, quæ eſt ipſum id, quod conſtitutionem univerſam decet, omnique tribuit affectioni, quod aptum totum & cohærens efficiat. Id autem explorare ac definire non ſenſus eſt in ſingulis occupati ſeorſum ab aliis, ſed rationis & intelligentiæ, quæ multa complecti ponderare comparare poteſt.

CAPVT VII.

Eloquentiam minime valere ad cupiditatum vim coercendam.

I. VT in ſumma varietate facultatum atque cupiditatum, quæ ſe viciſſim urgent, impellunt, extrudunt, inferuntque, confuſio vitari poſſet, neceſſe plane fuit, ut & ſuus cuique modus præfiniretur, ac certum excurrendi ſpatium, omneſque fræno valido poſitis continerentur finibus. Neque enim cupiditates ex hominum facultatibus excultis effuſæ cohibendæ fuerunt omnino, neque liberius emittendæ. Nam ut hiſce plane repreſſis amoventur aculei, quibus a languore & ſegnitia detruditur animus, ac vincula ſubtrahuntur, quibus homines inter ſe conjungi maxime ſolent; ſic eiſdem plane ſolutis, vehementius efferuntur exultantque homines, quam ut ſe mutuo poſſint pati, interque ſe conſociari. Siquidem ut ſocietatem hominum non is admodum requirit, qui cum pauca expetat, indiget paucis, ac paucis expletus eſt; ſic eam ipſam refugit is, qui ſibi qui-

quibus indigere ſe judicet, ab aliena ſeu fraude ſeu vi non eſſe tuta videat. Cupiditatum autem effuſarum a nulla re alia frænum aptius utiliusque peti poſſe, quam ab eloquentia, ſerviens arti ſuæ contendit Ariſtides oratione Platonica prima; recteque hanc ac prudenter uſurpatam interpretem ac tutricem eſſe juris omnis, quod a natura cuique datum, aut pactis mutuis acquiſitum ſit; eamdemque tum invexiſſe, tum invectam conſervare conjunctionem hominum, ac vitæ in rerum ubertate maxima tranquillitatem atque ſecuritatem expeditam.

II. Nam ut eloquentiam a Platonis criminibus vindicaret, oſtenderetque, nihil in rebus humanis eſſe majus atque perfectius, *Omnes*, inquit, *aſſenſuros arbitror, homines una non eſſe natura ſimplicique præditos, ſed partibus conſtare duabus, altera vim inferre ſolita, quam dixerit quis non virtute quidem, ſed robore præſtantiorem; altera, quæ imbecilliorum eſt, invita cedente, quippe cum vim propulſare ac ſeſe tueri nequeat. Hac ergo de cauſſa homines aliquid inveniri oportere cenſuerunt, quod & vim cohiberet, ac pignus æquitatis omnibus & juſtitiæ eſſet, ac proſpiceret infirmis æque ac robuſtis. Nam ne fortioribus quidem ea demum*

pro-

profutura erat , quæ felicitas quædam initio videbatur ; ſed ea res ipſa , qua potiores erant , aut eſſe ſibi videbantur , evaſura tandem erat in ipſorum exitium . Siquidem imbecillioribus paullatim ſublatis , ipſi denique ſe mutuo , quemadmodum de Spartis traditum eſt , interfeciſſent . Quare , ne res humanæ funditus peſſum irent , remedium toti generi commune quoddam inveniendum fuit , quod omnibus eſſet & fortibus & imbecillibus & juſtis peropportunum ; nempe ut qui robore fidebant ab injuſtitia revocarentur , vel cum injuria punirentur ; qui viribus erant deſtituti , ſecure viverent ; qui demum juſtitiam colebant , mercedem meritis parem conſequerentur . Inventa eſt autem eloquentia , prodiitque juſtitiæ cuſtodia , vitæque humanæ vinculum , ne res manibus , armis , occupatione , multitudine , magnitudine , vel alia re inæquali diſcernerentur potius , quam ratio ſuum cuique convenienter ſimul ac tranquille tribueret . Hoc igitur ejus propoſitum eſt , ut omnes conſervet , vim perſuaſione pellat extrudatque , res privatas ac publicas in concordiam redigat , & temeritatem ac motus turbulentos odiſſe doceat .

II[r]. Deinde comparat eloquentiam cum arte legum ferendarum , exercendorumque judiciorum .

Elo-

Eloquentia, inquit, *cum & arte legum, & judiciali pro uſu utriuſque prior ſit, artem primo legalem, deinde judicialem mediam comprehendens, prima ſit, & media, & ultima, poſtquam ſe utriuſque mediam, & utramque ſui mediam collocavit, ut communi quaſi vinculo colligatæ manere ſimul omnes poſſent. Nam legibus quidem oratione erat opus ad perſuadendum quæ ferendæ fuerunt, ne damni quidpiam a nobis invicem pateremur, neque modeſtis ac probis eſſent potiores audaces & mali; ſed iniquos pœna, juſtoſque conſectaretur bonos, quæ duo geminum quaſi caput legum ſunt. Nam ſi leges ea de cauſſa ferebantur, ut ſuum cuique concederetur, id autem fortiſſimis quibuſque placitum non erat, orationem adhiberi neceſſe plane fuit. Nam vim quidem non licebat iis inferre, quibus erat ea naturalis; neque legum, quæ contra vim ferri debebant, erat origo hæc. Quare cum per vim ferri non poſſent, quod id primum contra leges futurum fuiſſet, perſuadendum fuit iis maxime, qui ad reſiſtendum parati erant, aut pleriſque ſaltem, & iis, qui legibus unice defendi ſoſpiteſque ſervari poterant. Ars vero judicialis, cujus eſt munus arti legum ferendarum opitulari; nam qui legum ſanctiones violant, hoſce conquirit*

ac

ac punit, ea ipſa, priuſquam legibus auxiliari valeat, auxilium eloquentiæ deſiderat. Leges enim ſequi, legumque violatores ex legum præſcripto punire debet. At oratoris eſt injurias probare, judicique præſentes ſiſtere, judicis autem ab oratore probatas acceptaſque plectendas dare.

IV. Magnifica quidem hæc & ampla ſunt, atque a dicendi magiſtris, tamquam pro aris ac focis dimicantibus, ingenti conatu exprompta & in aciem educta, ſimul ut eorum artis honos in diſcrimen adductus eſt, arſque ipſa non contemni modo, tamquam leve quiddam, verum etiam exagitari cœpit ut civitatibus infeſta, & juſti ac injuſti perturbatrix; eo plane modo, quo poetæ facere conſueverunt, ut ſuæ facultatis auctoritatem in ancipiti poſitam ac labantem fulcirent & confirmarent. Siquidem Horatius, ne joculare quiddam ac puerile Muſa lyræ ſollers exiſtimetur,

> *Silveſtres* (inquit) *homines ſacer interpreſque deorum*
> *Cædibus, & victu fœdo deterruit Orpheus,*
> *Dictus ob hoc lenire tigres, rabidoſque leones.*
> *Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis*
> *Saxa movere ſono teſtudinis, & prece blanda*

Du-

Ducere quo vellet. Fuit hæc ſapientia quondam
Publica privatis ſecernere, ſacra profanis;
Concubitu prohibere vago; dare jura maritis;
Oppida moliri; leges incidere ligno.
Sic honor & nomen divinis vatibus atque
Carminibus venit (a).

Sed ea magis in populari celebritate ſcribentis ingenio plauſus & laudem excitare, quam ex re ac veritate ducta rationem in conſilium adhibenti videri poſſunt. Nam ut ut orationis vis magna eſſe concedatur, eaque ſæpe quaſi vento quodam impelli ſe homines ac deferri ſinant; quantacumque tamen hæc ſit, a voluntate hominum pendet, & animorum affectione, qui permovendi regendique ſunt; neque plus quidquam poteſt, quam quod ii poſſe velint. Vt autem tum maxime valere ſinunt, cum eam plane cum ſtudiis ſuis conſpirare intelligunt, facile enim ac raptim ignis ad torrem tranſvolat, ut in proverbio eſt; ſic ubi diſſentit illa, & obſiſtit excitatæ cupiditati lateque exultanti, ſurdis auribus admovetur, vel durum offendens illiſa concidit.

Qua-

(a) In Epiſt. ad Piſon.

Quare cupiditatibus æſtuantibus agger omnino fragilis ac facile proruendus opponeretur , ſi non alio fræno illæ , quam oratione , coercerentur .

V. Et vero quis orationi ſanæ locus eſt in ſocietate perturbata hominum , in qua ſocietatis uſitatæ peſtes , & irritamenta malorum omnium , avaritia & ambitio præcipites effuſæ ſint , eamque progignant & emittant vim ac varietatem motuum turbulentorum , qui libro tertio a Thucydide deſcribuntur ? *Vſitatam* , inquit , *in rebus ſignificationem verborum immutarunt arbitratu ſuo . Nam audacia inconſiderata , fortitudo ſtudioſa amicorum exiſtimata eſt ; cunctatio providens , ſpecioſa timiditas ; modeſtia velum obtentum ignaviæ ; prudentia , ſegnities ; ac veſana celeritas , animi ſtrenui laus . Qui pronus ad iram eſſet , fidelis ; qui conſiliis ira & odio ſuſceptis adverſaretur , ſuſpectus habebatur ; qui poſitis inſidiis optata perfeciſſet , prudens ; ac prudentior , qui contra paratas inſtructaſve callide proſpexiſſet : qui vero caviſſet , ne ullis ejuſmodi rebus indigeret , amicitiæ diſſolutor , & adverſariorum timens exiſtimabatur ; iſque laudabatur , qui alterum in injuria facienda prævertiſſet , vel nihil ejuſmodi cogitantem ad injuriam impuliſſet . Sodales cognatis anteponebantur ,*

quod

Digitized by Google

quod ad audendum paratiores eſſent: nam ejuſmodi cœtus non utilitatis cauſſa ex præſcripto legum, ſed avaritiæ gratia contra leges inibantur; nec tam religione jurisjurandi, quam ſcelerum communicatione, fœdera firmabantur. Ac ſi forte jusjurandum inter utramque partem interponeretur, id in præſentia valebat propter difficultatem rerum; ſimul autem ut alter alterum animis ac viribus anteiret, libentius eum ex inſidiis nihil tale timentem ac fide fretum ulciſcebatur, quam ſi rem aperte geſſiſſet. Namque & putabat id eſſe tutum, & quia fraude vicerat, prudentiæ laudem referebat. Simplicitas, cujus eſt generoſitas maxime particeps, exploſa evanuerat; nullam autem alteri fidem habere longe præſtantius credebatur: nulla enim neque ſermonis auctoritas, neque jurisjurandi ſanctitas erat, quæ confirmaret animos. Sed cum omnes animo proniores eſſent ad deſperandum de alterius conſtantia ac fide, providebant magis ne quid ipſi detrimenti caperent, quam ut cuique fiderent adduci poſſent. Cum autem vitæ diſciplina omnis perturbata eſſet, humana natura, quæ contra leges etiam, quæ ſtent adhuc & vigeant, injuſte facere conſuevit, tum legibus victis & oppreſſis, magna cum voluptate ſeſe declaravit ira quidem in-

inferiorem, jure vero potentiorem, omniſque auctoritatis hoſtem. Non enim ulciſcendi ſtudium pietati, non innocentiæ quæſtum antepoſuiſſent, in quo nullam invidia vim habebat ad nocendum. Sed homines, dum alios ulciſcuntur, una leges communes evertere ſtudent de rebus hiſce latas, a quibus, ſi quis forte offenderit ac labefactus ſit, in ſtatum reſtitui poteſt; neque ſupereſſe ullam volunt, quæ ferre poſſit auxilium, ſi quis forte vocatus in diſcrimen eſt, ac præſidio legum opem illi ferre poſſit.

VI. Locus hic Thucydidis inſignis eſt, ac vires omnes ingenii præſtantis exercuit, ut appareret, quid facere poſſint & qui ulciſcuntur eos, a quibus improbe potius & ſuperbe, quam juſte ac modeſte tractati ſint, & qui ſeſe ex inopia diuturna expedire cupiunt, & qui per avaritiam alterius fortunas occupare ſtudent. Atque ex tanta rerum perturbatione perſpicuum fit, in ſocietate quo cupiditates amplificantur latius, ac vehementius erumpunt oblatis undique ac ſæpe irritamentis provocatæ, eo firmiori freno opus eſſe, quod harum vim adducat, ac foras prominentem ac nitentem uſque contineat, antequam aucta prorumpenſque frenum omne reſpuat.

CA-

CAPUT VIII.

An vir beatus, boniſque omnibus affluens, amicis egeat.

I. ANimi ſive dejecti, ſive depravati, ſive magnis afflicti difficultatibus, & mali præſentis aſpectu ſic undique ſepti, nihil ut ejus depulſione majus utiliuſque cogitet, expetendumque putet, illud Euripidis in Oreſte pronunciatum eſt (*a*):

——————————— Τὺς φίλυς
Ἐν τοῖς κακοῖς χρὴ τοῖς φίλοισιν ὠφελεῖν·
Ὅταν δ' ὁ δαίμων εὖ διδῷ, τί χρὴ φίλων;
Ἀρκεῖ γὰρ αὐτὸς ὁ Θεὸς ὠφελεῖν θέλων.
——————— *Id amicos decet*
Adferre amicis rebus in mæſtis opem.
Nam dum favet fortuna, quid amicis opus,
Cum ſolus opifer ipſe ſufficiat Deus?

Id quidem in Oreſte civibus inviſo, jamque vocato in capitis judicium a Tyndareo matris inter-

G 2

(*a*) In Exc. Grotii.

terfectæ fratre, neque ab alio quam a Menelao patruo præſidium expectante, non indigne ferendum erat: ignoſcendum eſt enim homini, qui ſummo verſatur in periculo, ſi quod eſt ei maxime neceſſarium, animumque penitus occupavit, non modo præſtantiſſimum, ſed ſolum etiam arbitratur bonum. Nam quæ libero explicatoque animo diſtributa & ordinata locum ampliorem excelſioremque ſibi tributum obtinent, animo quaſi coacto expreſſa & effluentia non modo ſolidius ac ponderoſius, ſed & unice continendum exiſtimari ſinunt, quod animi preſſione quodammodo denſatum atque conſtipatum intus manet. At qui, nulla temporum difficultate contrahente vim animi, ſtatuat nullum amicorum uſum eſſe beatis, quibus omnia ſuppetunt; is animi anguſtiis impeditus, aut inſita perverſitate devius actus, non modo non intelligit quid amicitia præſtare maximum, & humana excellentia capere poſſit eximium; verum etiam omnino quid amicitiæ, quid hominis ipſa natura poſtulet, eique ſic adhæreſcat, ut, ſalva utraque, ſummoveri nequeat. Nam, ut monet Ariſtoteles, amici munus eſt afficere magis, quam affici beneficio, cujus expeditior ampliorque beato facultas eſt; tum autem

tem homo civile animal eſt, atque ad vitæ ſocietatem natura factum: quamobrem ea conditione bonis omnibus abundare nemo velle poteſt, ut ſolus ætatem agat, quemadmodum ibidem animadverſum eſt a Philoſopho. Verum non iis finibus includi ſe patiuntur appetitiones erecti experrectique animi, qui vitæ commodis circumſcripti ſunt; ſed ad ea quoque ſe porrigunt, quæ dignitatem amplitudinemque ſpectant. Callicratidas autem in amicitia plurimum ad eam rem adjumenti poſitum eſſe tradit (*b*): *Amplior*, ait, *familia magnificentiorque fit, non modo fortunarum & cognatorum, ſed & amicorum aucta multitudine*. Quare Cyrus apud Xenophontem (*c*), quidquid ab amicis expeti perſentiſceret, in eo ſuam ipſis egregiam operam approbare conabatur; ipſa illa cauſſa ductus, qua ſibi amicis opus eſſe putabat, nimirum ut rerum gerendarum haberet adjutores. Ex quo ſtudio fluxit præclarum illud excelſoque dignum animo, cum quæcumque ſibi ad ornatum corporis oblata eſſent largiretur amicis, explorato cujuſque ingenio, nempe non poſſe cor-

G 3 pus

(*b*) Ap. Stobæum Serm. 85. De re famil. (*c*) De Exp. Cyri l. 1.

pus iis omnibus ornari ſuum ; decore autem or-natos amicos ab ſe maximum hominis ornamentum exiſtimari.

II. Neque ſolum hoc adoptatum ab iis fuit, qui ſive bonitate naturæ, ſive diſciplina duce, rectum iter ingreſſi vitæ ſunt ; ſed ab iis etiam, qui, ſive calliditate ſive prudentia adhibita, magis utilitati ſuæ, quam animi generoſitati ſtudebant. Nam Sylla Pompejum, Cæſar Brutum, Agrippam Auguſtus, Sejanum Tiberius, Plancianum Severus ad ſummum faſtigium perduxerunt, ut imminuta diſtantia, qua, fortunarum inæqualitate interpoſita, disjungebantur, iis tamquam amicis ac ſociis uti poſſent. Quod quidem eximiæ bonitati naturæ tribui poſſet, appoſite Baconus (*d*) inquit, ſi Trajano ſeu M. Aurelio ſimiles extitiſſent: at cum viri tam prudentes eſſent, tanto animi robore, tantaque ſeveritate præditi, tamque impenſi amatores ſui, liquido conſtat, eos felicitatem ſuam, etſi major homini vix obtigiſſet, imperfectam exiſtimaſſe, ſi non ad hujus expletionem amicitia acceſſiſſet; quippe quæ non id

(*d*) Serm. Fid. 27.

id ſolum habet virium, ut mœrores extenuet, verum id etiam, ut gaudia communicando reflectendoque augeat. Fit enim in animis, quod in rebus naturalibus uſuvenire cernitur: cohærendi vis & conjunctio, quemadmodum impreſſiones violentas hebetat ac retundit, ita naturales actiones alit ac roborat.

III. Quæ cum ipſa natura hominis expetat, ac ſibi tributa velit; ea multo ſunt expetenda magis ac neceſſaria viro bono ac beato, qui ſummo in faſtigio naturæ hominis humanæque excellentiæ collocatus eſt. Nam amicus id viro bono ac beato præſtat, ut voluptas, quæ capitur ex agendo recte convenienterque virtuti, continuetur, ac numquam intermiſſa ſit: quæ continuatio voluptatis in ipſa natura felicitatis involuta penitus eſt, ab eaque nullo modo ſejungi poteſt. Felicitas enim, ut inquit Ariſtoteles, functio quædam eſt muneris; & Antoninus (*e*) ait, exiſtimari oportere fruitionem quidquid ſecundum naturam ſuam agendi data facultas eſt: quo fit, ut ei, qui juſta faciat, & vera dicat, reliquum

(*e*) Ant. l. 10. par. 33.

eſſe nihil afferat, quam (*f*) vita frui bonum bono ſic adnectente, ut ne minimum quidem bono vacuum relinquatur intervallum. Itaque cum eſſe vita beati jucundiſſima debeat, atque ut hominis eſt (*g*) jucunditas ea facere, quæ propria ſunt hominis, ſic beato præſertim jucundum ſit ex virtute operari, quod eſt beati proprium; quo crebrius quis ex virtute fuſas actiones ediderit, eo non modo diuturniore, ſed etiam acriore voluptate animi perfundetur: nam in iis, quæ ſunt inter ſe proxima, redundet oportet ex altero quidpiam in alterum, ut in colore colori ſuperinjecto cernitur. Quare ſuccedens gaudium, cum antegreſſo gaudio, quod nondum ſubſedit, jam commotum nanciſcatur animum, quidquid ex illo motu ſupereſt, adjungit ad ſuum; quo fit, ut auctum incremento virium adventitio impreſſionem graviorem faciat. Verum aſſidue continenterque munere fungi difficile admodum eſt homini, qui ſolus ſit; contra coujuncto cum aliis, & erga alios, id expeditum eſt & in proclivi poſitum. Nam viri boni ſe mutuo benefa-

(*f*) Id. l. 12. par. 29. (*g*) Id. l. 8. par. 26.

factis excitant, & mirabilem quamdam alternorum officiorum continuationem ſeriemque nectunt, quæ videri quodammodo propria utriuſque poſſunt; cum alterum ex altero progignatur, interque ſe penitus implicata ſint, ut ſecerni porro nequeant: quippe rependendi ſtudium commovet is, qui beneficio provocat; & qui beneficio provocatur, iterandi beneficia contentionem alit. Immo vero quidquid ab altero agitur, actum ab ſe quodammodo putat ob eam ipſam cauſſam, qua fit, ut interea dum alteri benefacit, ipſi ſibi ab ſe benefactum cenſeat. Nam in virorum bonorum amicitia præſertim id obtinet, quod Antoninus (*b*) univerſo ſyſtemati rationalium attribuit. *Quo pacto ſe habent*, inquit, *in continuis membra corporis, eo ſe habent in diſſitis rationalia; cum ad mutuas operas uni cuidam eidemque rei conferendas utraque natà ſint. Quare ſi te, non membrum, ſed partem dixeris compagis ex ratione præditis coalitæ, nondum homines ex animo diligis, nondum ipſum per ſe benefacere te delectat; adbuc tantum ideo facis, quod fieri deceat, non autem perinde ac ſi ti-*

(*b*) Lib. 7. par. 13.

tibimetipſi benefacias. Quoniam itaque viri boni, quos voluntatum, ſtudiorum, & ſententiarum conſenſio conjugarit, membra ſunt unius corporis arctius aſtricta, quam ipſi per ſe homines, qui ſola communione rationis inter ſe conjuncti ſunt; eapropter utriuſque functiones omnes utrique communes erunt; ideoque vir bonus ac beatus amico viro bono indigebit, ut felicitatis intendatur vis, augeaturque ſenſus, aucto recte factorum numero tum ſuorum, tum eorum, quæ ab amico profecta quodammodo pertinere ſentit ad ſe ipſum.

IV. Verum etſi quæ geruntur ab altero ſic hujus eſſe propria contendatur, ut in actionum alterius cenſu numerari nequeant; mirum tamen in modum augent voluptatem ea, quæ virtuti congruentia, ſuiſque numeris abſoluta geri cernimus, ab homine præſertim, qui ſimilitudine morum, & amoris conſpiratione nobiſcum conſentiat, quemadmodum Ariſtoteles animadvertit. Delectat enim etiam in aliis id intueri, quod ſibi cognatum eſt; atque ut oblectatur muſicus cantilenis pulchris & conſonis, offenditurque pravis ac diſſonis, ſic vir bonus, qua bonus, recte factis gaudet, & abhorrentibus a virtute moleſte afficitur.

tur. Neque vir bonus, dum viri boni & amici honeſte facta inſpicit, ideo tantummodo jucunde tangitur, quod honeſta videat ipſa per ſe grata; ſed ob id etiam, quod in amico ſe ipſum, & in actionibus amici contempletur ſuas; immo ſeſe ex amici quam ex ſui contemplatione ſincerius interiuſque noſcat. Nam, ut ait Philoſophus, magis vicinum, quam noſmetipſos, & ejus actiones, quam proprias, videre poſſumus. Atque ſeſe amicum probum in amico probo intueri ex eo efficit ad hunc locum Euſtratius, quod amicus probus eſt ἄλλος αὐτὸς *alter ipſe* ille qui amatur; & amici probi eadem eligunt, eademque agunt, cum in corporibus duobus quodammodo ſit unus animus. Porro facilius aliena quam propria conſpicienda ſe nobis offerri, generatim evincit vulgatum illud, quo ſeſe noſſe cuique arduum eſſe fertur, aciem animi retundente ſive benevolentia inſita, ſive aliqua perturbatione adventitia. Etſi vero qui virtute penitus imbutus eſt, ab eo longe diſtet amore ſui, qui a Platone libro quinto de Legibus reprehenditur, & malum maximum appellatur, atque caput errorum omnium; cum is, qui ſe ipſum magis, quam veritatem, honorandum putat, quid juſtum bonum & pul-

chrum

chrum ſit, male judicet; numquam tamen, dum ſe unum ac ſua inſpicit, affirmare certo poteſt, imminuti detorti fucati nihil in iis eſſe, quæ videt. At ubi defigit in alium oculos, quo contemplando delectatur, eumque diligentius ac ſincerius introſpicit, in alienis æſtimandis minus errare, ſuaque cum iis comparans acrius dijudicare poteſt, quid in ſe rectum aut emendandum ſit. Itaque ſicut in ſpeculum inſpicit, qui ſuam faciem intueri velit; ſic amicum probum inſpiciat oportet, qui ſe noſſe cupiat, & actionum ſuarum aſpectu ſincero frui. Vt ut enim quod ibidem a Platone traditur, *Amator in amato perſpiciendo cæcus eſt*, ad omnia, quæ poſſunt amari, porrigatur; in primis tamen id cuique circa ſemetipſum obvenit. Siquidem ubi ſe quis contemplatur, obtutum ad ea maxime dirigit, quæ boni ſpecie ſeſe commendant; ubi vero ſibi proponit intuendum alium, deflexos a bonis oculos in ea defigit, quæ reprehendi ſeu corrigi meliuſque conformari poſſunt. Hinc illud a Menandro notatum fluit.

Οὐδεὶς ἐπ' αὐτοῦ τὰ κακὰ συνορᾷ, Πάμφιλε,
Σαφῶς· ἑτέρου δ' ἀσχημονοῦντος ὄψεται.
Quicumque fœdum admittit aliquid, Pamphile,

Non

Non videt hoc ipſe: at alius ſi faxit, videt (i).

V. Quæ cum ſpectent ad eos maxime, qui non admodum abſunt a virtute ſuis expleta numeris, aut ipſi per ſe corroborato alteque inſito honeſti ſtudio virtutis incitati conſtanter agere pulchra poſſunt; quod ab Ariſtotele porro additur iis eſt opportunum, in quibus nondum confirmata ſatis aut late fuſa virtus eſt. Ait enim, his ideo proborum amicitiam utilem eſſe, quod exercitatio quædam virtutis ex convictu bonorum excitari poſſit. Virtus enim ex bonis incrementum capit. Quam ad rem illud affert, quod eſt a Theognide præclare dictum: (κοῖσι

Ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἄπ' ἐσθλὰ μαθήσεαι· ἢν δὲ κα-
Συμμιχθῇς, ἀπολεῖς ϗ τὸν ἐόντα νόον.

A juſtis diſces bona: ſi verſabere amico
Cum pravo, amittes, mens bona ſi qua tibi eſt (k).

Neque ad agendum tantummodo, ſed etiam ad evolvenda conſilia, ſermone intercedente, amici conferunt. Nam, ut Baconus (l) appoſite, ſi quis animum cogitationibus multis gravatum habeat, ejus ingenium tamquam lumini expoſitum inclareſcit

(i) Int. Grot. in Carm. Stob. tit. 23.
(k) Int. Bernardo Feliciano. (l) Serm. 27.

ſcit communicatione conſiliorum, & mutuo colloquio. Quippe cogitationes, ubi ſint in verba converſæ, facilius agitat, in partes omnes verſat, diſponit ordinatius, ac tamquam in faciem intuetur. Sermo enim hominum, ut regi Perſarum reſpondit Themiſtocles (*m*), inſtar eſt pictorum ſtragulorum; nam ut hæc, ita ille aperit expanſus imagines, contractus tegit ac depravat.

VI. Atque cum hactenus allatæ rationes ex iis repetitæ ſint, quæ ſunt homini adventitia; quæ poſtrema ponitur a Philoſopho, ſubtilius eſt acutiuſque deprompta ex iis, quæ homini natura inſunt; oſtenditque, natura eſſe viro bono expetendum amicum probum, non ſecus atque eſſe, vivere, ſentire, intelligere. Quippe, ut ait ad hunc locum Euſtratius, bonus amicus viro bono quaſi vita quædam eſt, atque vita ac ſenſus non habitu quodammodo ſed actu eſt, ſiquidem una cum ipſo maxime impenſeque agit. Vita itaque natura bonum eſt, cum definitum quiddam ſit; quod eſt autem natura bonum, id probo quoque viro bonum eſt. Quare vita probo cui-

que

(*m*) Plutarch. in Vita Themiſt.

que natura ſuapte expetenda eſt : immo vitæ probi viri præſertim id accidit ; eſt enim vita prava & corrupta indefinitum quiddam. Nam, ut verum , ſic bonum ſimplex ac finitum eſt ; contra , ut falſum , ſic malum varium eſt & multiplex & infinitum ; quo fit , ut qui deviis a ratione cupiditatibus abripiuntur , alia ſemper atque alia perſequantur. Porro ſi bonum eſt ipſa per ſe vita præſertim viri probi , jucunda quoque erit. At vita in homine poteſtate ſenſus & intelligentiæ definitur. Poteſtas autem ad operis ac muneris functionem ſpectat , facultates enim ſunt nobis , ut iis utamur , a natura inditæ. Quare vitæ perfectio ſentiendi & intelligendi non poteſtate , ſed actu conſtat. Quemadmodum autem audiendo audire , videndo videre ſentimus , ſic intelligere nos intelligendo percipimus ; ubi vero bonum quidpiam in nobis eſſe percipimus , eâ perceptione delectamur ; ergo quo ſe magis quis & ſentire ſentiat , intelligere intelligat , eo penitius altiuſque indita latiuſque fuſa voluptate perfundetur. Nam cum ipſa per ſe vita jucunda ſit , ac ſentire ſe ſentire , & intelligere ſe intelligere nihil ſit aliud , quam ſentire atque intelligere ſibi vitam ineſſe , vitaque frui ; qui ſuæ ſibi

ſibi vitæ magis eſt conſcius, is interiore ſui ſenſu vividius atque ſuavius afficietur. At ſenſus cujuſque ſui, ſimulque voluptas ex eo fluens augetur atque porrigitur, ubi quis eſſe ac vivere ſentiat alterum ſui ſimilem, ſeu ſentire & intelligere percipiat alterum quemdam ipſum: nam eo pacto vita frui quodammodo geminata cenſeri poteſt. Sui vero ſimilem & alterum ipſum eſſe probus exiſtimat amicum probum; vir enim probus, ut erga ſe ipſum, ſic erga probum amicum affectus eſt. Itaque viro probo percipere ſenſu & intelligentia eſſe amicum probum & vivere, gratum eſt & expetendum, eique propterea neceſſarium, ut vitæ propriæ jucunditas expleta ſuiſque numeris abſoluta ſit. Id autem ut percipiatur, conſuetudo victus requiritur, qui conſilia ſenſuſque animi communicandi mutuo, permutandique officia poteſtatem expeditam & continentem facit. Ergo ſi viro probo natura bonum eſt eſſe, ac ſentire ſe vivere, ſenſumque ſui duplicatum percipit, dum percipit amicum eſſe ac vivere, quocum vitam quodammodo communem habet, ideoque voluptas, amplificato ſui ſenſu, major uberiorque vitæ gignitur; ei, qui beatus futurus ſit, amicis probis opus erit, etſi bonis ceteris abundet omnibus.

CAPUT IX.

Commodius eſſe vulgarem ac mediocrem, quam perfectam undique amicitiam quærere.

I. EI, qui amicum quempiam ſibi velit adſciſcere, illud præter cetera cogitandum eſt, amicum eſſe, ut apud Plutarchum (*a*) a Platone animadverſum eſt, hominem, animal nempe facile mutabile; id afferente varietate facultatum & alacritate, quibus inſtructus eſt; atque, cum hæ diſſimiliter in aliis aliiſque inter ſe temperatæ ſint, & in multa vergant aliorum æque facultatibus opportuna, prudenter a Socrate (*b*) ac vere dictum eſſe, comparatos eſſe natura homines partim ad amicitiam, partim ad ſimultates atque diſſidia. Tum enim indigere mutuo ſubſidio mutuaque opera, miſereri, juvando prodeſſe alios aliis, eoque perſpecto, ſibi viciſſim habere gratiam; tum autem, cum eadem expetenda bona putent, de iis inter ſe di-

H gla-

(*a*) Lib. de Tranq. an. (*b*) L. 2. Memorabil.

gladiari, disjunctiſque ſententiis animorum adverſari ſibi mutuo: præterea contentionem & iram hoſtile quiddam eſſe, plus habendi cupiditatem infeſtum, invidiam odioſum. Per quæ penetrans amicitia colligare quidem inter ſe poteſt ingenuos, honeſtiſque ſtudiis addictos homines. Sed cum ſemina disjunctionis inſita penitus extirpari nequeant, niſi rerum, quæ ad vitæ commoda jucunditatem amplitudinem ornamentum adoptatæ ſunt, omnis antea cupiditas avulſa ſit; cupiditates autem in ordinem adduci regique ſe patiantur quidem, at non exſcindi funditus auferrique ſinant; ea coagmentatio laxamenti quiddam habet, ac ſi nimis aſtringatur, elementorum quaſi diſſidio exaſperato, concuſſa diſſolvitur. Quare mentis concordia, quæ neceſſaria dicitur ad amicitiam a Pythagoreis, auctore Iamblicho (*c*); congruentia decretorum in iis quæ ad vitam pertinent, & rerum, quarum eſt uſus in vita, communio ea, ut amicis utamur tamquam nobis ipſis, quæ a Stoicis in amicitia poſtulatur, Stobæo (*d*) Laertioque (*e*) tradentibus; & omnium divinarum

(*c*) In vita Pyth. ſ. 240. (*d*) In Ecl. Eth. (*e*) L. 7. ſ. 124.

rum humanarumque rerum cum benevolentia & caritate ſumma conſenſio, quam ex Stoicis hauſit in Lælio Tullius, ejuſmodi ſunt, ut eorum quidem animo fingi ſpecies, nuſquam autem exemplum inveniri poſſit: & qui ſeſe ad eam formam componat, alioſque compoſitos exigat, is, quem amet, neminem umquam ſit inventurus, ob eamque rem e vita funditus amicitiam auferat.

II. Itaque conſultius eſſe commodiuſque ducunt prudentes & conſiderati rerum humanarum æſtimatores, animum animique ſtudia collineare in eam amicitiam, quæ vulgaris & mediocris appellatur a Tullio (*f*), delectare tamen ac prodeſſe dicitur; quam in perfectam expletamque numeris omnibus, qualis ab eo fuiſſe traditur nonnullorum qui pauci nominantur. Etſi tam diſtaret hæc ipſa ab amicitiæ cogitata forma, quam ii, quibus attributa fuit, a perfecta ſapientia aberant, quæ fundamentum eſſe veræ amicitiæ ſtatuitur. Cum ii non mirabilia, ſed uſui futura perſequantur, amicos non alios eſſe ſibi quærendos intelligunt, quam quos vita communis agnoſcit ac probat;

H 2 cum

(*f*) In Lælio.

cum iiſque ſic agendum, ut cum viris bonis, non qui finguntur aut optantur, nuſquam autem reperiuntur, ſed quibus vita communis eſſe contenta poteſt. Eos, qui pulchris picturis otioſe delectantur, exiſtimare cum Plutarcho (*g*) ſinunt, concentus amicitiæ nullam eſſe debere diſſimilem aut inæqualem partem; ſed, ſeſe ſimiliter omnibus habentibus, omnia convenire inter ſe dicta, ſenſa, conſilia, motuſque animi, tamquam uno animo in plura diffuſo corpora. Qua ex ſanctione fluunt ea, quæ ſunt apud Senecam (*h*): *Si aliquem amicum exiſtimas, cui non tantumdem credis, quantum tibi, vehementer erras, & non ſatis noſti vim veræ amicitiæ. Cum tibi aliquem in amicitia recipi placuerit, toto illum pectore admitte: tam audacter cum illo loquere, quam tecum; cum amico omnes cogitationes tuas miſce. Quid eſt quare verba coram amico retraham? Quid eſt quare me coram illo non putem ſolum?* Ipſi vero miſſis his, quæ tantum inter homines undique perfectos locum habere poſſent, eam opinionum ac voluntatum conſenſionem ſatis eſſe putant, quæ non

(*g*) L. de Amic. multitud. (*h*) Epiſt. 3.

non alterum cum altero ſic intime permiſceat & confundat, ut quaſi liquores infuſi ſecerni & agnoſci nequeant; ſed ita nectat, ut quaſi dura corpora ad ſe invicem applicata, interque ſe apta, diſtingui poſſint. Quo fit, ut multa ſui quaſi puncta communia cum amico habeant; multa vero ſibi propria reſervata velint; quæ tamen ipſa, commotis contactus punctis, commoveri conſenſu debent, quantum neceſſe eſt ad utilitatem mutuam & jucunditatem in lætis adverſiſque rebus, iique ſinunt, quos propius cujuſque puncta attingunt. Neque enim ita cujuſque propria manent, ut non pertineant ad alios; cum multis ſinguli varium ad ſe reſpectum habentibus circumfuſi ſint. Itaque cum animo recte conſtituto temperatoque ſint, & conſiderate ordinateque ament, æque diſtant ab eo, qui ſeſe totum alteri credit, alterumque ſibi viciſſim addictum omnino velit, atque ab eo, qui verſutia corrumpat amicitiam, aut mollitie deſerat, aut ſuſpicionibus incertam reddat, & ſemper in ancipiti lubricoque nutare cogat.

III. Ad animi mollitiem amicitiæ moleſtias fugientis id ſpectat, quod apud Euripidem in Hippolyto legitur, obtruditurque tamquam utile

Digitized by Google

vitæ ſecuritati præceptum uſu diuturno rerum humanarum imbibitum:

Πολλὰ διδάσκει γάρ μ' ὁ πολὺς βίος.
Χρῆν γὰρ μετρίας ἀλλήλους
Φιλίας θνητοὺς ἀνακίρνασθαι,
Καὶ μὴ πρὸς ἄκρον μυελὸν ψυχῆς,
Εὔλυτα δ' εἶναι στέργηθρα φρενῶν,
Ἀπό τ' ὤσασθαι, καὶ ξυντεῖναι.
Τὸ δ' ὑπὲρ δισσῶν μίαν ὠδίνειν
Ψυχὰν, χαλεπὸν βάρος.
Βιότου δ' ἀτρεκεῖς ἐπιτηδεύσεις
Φασὶ σφάλλειν πλέον ἢ τέρπειν,
Τῇ θ' ὑγιείᾳ μᾶλλον πολεμεῖν,
Οὕτω τὸ λίαν γ' ἧττον ἐπαινῶ
Τοῦ μηδὲν ἄγαν.

Aetas multum me multa docet:
Hominum inter ſe bene compoſitus
Servare modum debebat amor;
Non & in ipſas ire medullas,
Sed ita ut ſolvi vincla poſſent,
Et jam tendi, jamque remitti.
Nimium nimium eſt ponderis, unum
Animum curas ferre duorum.
Ratio vitæ curata nimis,
Numquam dulcis, ſæpe & aberrans,

Mi-

Minus ut valeant corpora, cauſſa eſt.
Mihi præ nimiis laudare placet
Quæ ſe modico fine coercent (*i*).

Cui congruit illud Martialis:

Si vitare velis acerba quædam,
Et triſtes animi cavere morſus;
Nulli te facias nimis ſodalem.
Gaudebis minus, & minus dolebis (*k*).

Quæ ſententia pronis auribus admittitur, ac libenter adoptatur ab iis, qui aut omnino jucunditati vitæ dediti laborem & curam cane pejus & angue fugiunt, aut rebus occupati ſuis & irretiti, omnia humana ab ſe aliena putant, aut inſociabilia felicitati ſuæ.

IV. Pertinet autem ad verſutiam quod ab Antonino (*l*) reprehenditur, cum quis amicitiæ ſimulata ſpecie ſuæ conſulit utilitati; quod iis uſitatum eſt, qui ſinceritatem verbis efferunt, & ſeſe tum maximè occultos, tortuoſos, & multiplices indicant, cum vultu ad comitatem quamdam atque facilitatem compoſito ſeſe candidos apertoſque, nulla re poſtulante, prædicant. *Quam puti-*

(*i*) In Exc. Grotii. (*k*) L. 12. ep. 34. (*l*) L. 11. de reb. ſuis.

dus, inquit, *& inſincerus eſt qui ait: Ego ſtatui tecum agere ſimpliciter & aperte. Quid opus eſt præmonere! Ipſa per ſe res apparebit. Fronti vox oportet inſcripta ſit. Sincerus es? Statim id elucet in oculis, ut in amantis oculis omnia continuo deprehendit amaſius. Simplicitatis affectatio tortuoſa eſt: nibil tam, atque* λυκοφιλία *lupina amicitia, fœdum eſt. Hoc maxime ſugias: bonus, ſimplex, benevolus in oculis gerit mores, ac nihil in eo latet.* Locum hunc attulit Antonini parum appoſite Grævius ad illud Ciceronis in Lælio, quo boni viri dicitur eſſe munus in amicitia, non ſolum allatas ab aliquo criminationes repellere, ſed ne ipſum quidem eſſe ſuſpicioſum, ſemper aliquid exiſtimantem ab amico eſſe violatum; aitque ſuſpicioſam amicitiam a Græcis eleganter appellari λυκοφιλίαν. Nam etſi ſuſpicioſus dicatur tam is, qui ſuſpectum habet alium, quam is, qui ſuſpectus eſt; tamen nihil Tullii ſuſpicioſus cum Antonini lycophilia commune habet, ſed potius quod antea multiplex ingenium, tortuoſum, ob eamque rem infidum ab eo vocatum fuit. Nam lycophilia ſignificat amicitiam aſſimulatam, falſam, ſubdolam; a fœdere nempe ductam, quod ea conditione lupi cum ovibus olim inire volebant,

ut

ut ipſi ſuos catulos ovibus, oves ſibi canes cuſtodes gregis obſidum loco traderent; ideoque ſublatis defenſoribus paterent expoſitæ inſidiis direptorum ac prædatorum. Quare Plato (*m*) vocem traduxit ad eam animorum diſcrepantiam, ut inter ſe conſociari nequeant. Cum enim eo rem a Dionyſio adductam intelligeret, ut ab ſe aut Dionem deſeri veterem amicum & hoſpitem, aut amicitiam Dionyſii repudiari oporteret; *Hæc*, ait, *ita geſta* τὴν ἐμὴν καὶ σὴν λυκοφιλίαν καὶ ἀκοινωνησίαν διὰ σὲ ἀπειργάσατο, *diſſociabiles me teque tua culpa reddidit, ut non magis, quam inter lupos & agnos, amicitia conſtare poſſit.*

V. Demum ad ſuſpiciones & diffidentiam, quæ tum ex timiditate, tum ex importuna ſagacitate curioſius omnia rimante naſci poſſunt, attinet quod a Biante præceptum auctore Laertio (*n*) dicitur, & exagitatur a Tullio (*o*), nimirum, *Ita amare oportere, ut ſi aliquando eſſes oſurus*, Φιλεῖν ὡς μισήσοντας. Senibus præſertim morem hunc eſſe familiarem, Ariſtoteles (*p*) animadvertit, experientia nempe rerum humanarum inditum; ſuſpicio-

(*m*) Epiſt. 3. (*n*) In Lælio. (*o*) L. 1. ſeg. 87. (*p*) Rhet. l.2

cioſos eſſe, quia ſunt increduli; eſſe autem incredulos, quia periti ſunt; & neque magno amore, neque magno odio proſequi propter eamdem cauſſam; ſed ex Biantis præcepto & amare tamquam odio habituros, & odio habere tamquam amaturos. Quod ſi quis eo ſenſu accipiat, ut interea dum amicitiæ commoditatibus utitur, ad amicitiæ ſeſe diſſolutionem paret, ejuſque abjiciendæ ſibi cauſſam aliquam eſſe præſtitam & expeditam velit, ſimul atque cœperit ea diſplicere ac moleſta eſſe, vel utilis eſſe deſierit; id quidem, ut ait Ariſtoteles (*q*), ἐπιβελία, ſeu *res inſidiatrix* eſt, & univerſe ex eo ſequetur, quod ex ejuſmodi ſententia ſumpta ſimpliciter ſecuturum omnino contendit evincitque Tullius; nempe qui ſic amet, optaturum, ut quam ſæpiſſime peccet amicus, quo plures det ſibi tamquam anſas ad reprehendendum; rurſum autem recte factis commodiſque amicorum neceſſe futurum, ut angatur doleat invideat. At ſi quis ſic accipiat, ut ea moderatio ſtudiorum animi commendetur, & amico fidem habendam præſcribatur, tamquam homini, qui

(*q*) Ibid. c. 2.

qui non unus idemque ſemper eſt, ſed varius, commutabilis, multiplex; id vero plurimum ad vitæ præſidium & humanitatem facit. Nam qui ſic animatus eſt, is plurimis uti, plurimiſque prodeſſe poteſt, dum ſe tantum impertitur aliis, quantum ab ingenio cujuſque ſtabilitatis & conſtantiæ prudenter expectare poſſe videat. Eo ſenſu acceptum eſt a Sophocle in Ajace Flagellifero:

Ἡμεῖς δὲ πῶς οὐ γνωσόμεσθα σωφρονεῖν;
Ἐγὼ δ', ἐπίσταμαι γὰρ ἀρτίως ὅτι
Ὅτ' ἐχθρὸς ἡμῖν, ἐς τοσόνδ' ἐχθραντέος
Ὡς καὶ φιλήσων αὖθις· ἔς τε τὸν φίλον
Τοσάυθ' ὑπουργῶν ὠφελεῖν βουλήσομαι,
Ὡς αἰὲν οὐ μενοῦντα. Τοῖς πολλοῖσι γὰρ
Βροτῶν ἄπιστός ἐσθ' ἑταιρείας λιμήν.

Quanto modeſtum ſapere nos æquum eſt magis!
Expertus hominis quod ſit officium ſcio:
Odiſſe quamvis maxime infeſtum, quaſi
Amare poſſes: rurſus & amico obſequi,
Tamquam reflexa temporum poſſes vice
Odiſſe. Quippe pluribus mortalium
Parum eſſe fida ſtatio amicitiæ ſolet. (r)

Mo-

(r) In Exc. Grotii.

Modus hic effuſionis animi non ſolum accommodatus eſt humanæ naturæ, in qua multa obſcura, multa converſioni obnoxia, multa imperfecta & corrupta ſunt; ſed etiam amicitiæ commoditates expeditiores efficit. Nam qui ſic amat, non anxie ſibi latebras amici perveſtigandas intelligit, ut agnoſcat, antequam in amicitiam recipiat, an numeris omnibus abſolutus ſit, unuſque fieri poſſit ex pluribus: ſed ſatis eſſe putat, ſi cum ea quaſi parte ſui, qua ſeſe ad illum adjungit, apte congruat, & virtutem communem habeat.

CAPVT X.

Oblato Lyſidis Platonici conſpectu, demonſtratur quid in eo dialogo ſibi Plato propoſuerit, & inania Serrani commenta exploduntur.

I. IN Dialogum, qui Lyſis inſcribitur, & germanam amicitiæ docere cauſſam & naturam vulgo creditur, præter Socratem a Platone quatuor introductæ perſonæ ſunt, quarum indoles accurate diſtinguatur oportet, ut Platonis intelligatur ſcopus, & legentis abducatur animus ab eorum interpretandi more præpoſtero, qui cum pe-

pedis quaſi ſuſpendendi ferre laborem nequeant, & fruſtra ſeſe navaſſe operam arbitrentur, ſi dubitandi tantummodo cauſſas hauſerint; decerni quidpiam a Platone ſtatuunt, ubi tantummodo quærit, & incertus hæret, & multa tentans omnia poſtremo rejicit; ut æque omnia profitentes, ac ſe, qui nihil exploratum habere ſimulabat, evincat ignaros eſſe rei, de qua diſputatio inſtituta eſt; eorumque, pro varia cujuſque indole, ſeu arrogantiam frangat, ſeu falſas opiniones evellat, ſeu ſtultitiam confidentem in aprico ponat, eo quaſi velo detracto, quo freti ſeſe venditant imperitis, & magna polliciti nugas ampullaſque magno pretio venales habent. Lyſis adoleſcens eſt pudens ingenioque mirifice comparatus ad ſapientiæ ſtudium, ſed imperitus, & nondum excultus optima germanaque diſciplina; quo fit, ut ad malum æque flecti bonumque poſſit. Hinc Socrates cum eo ſeſe colloqui libenter ait, quod ejus philoſophico ſtudio delectaretur. Menexenus, cui Lyſis maxime familiaris erat, adoleſcens eſt acer ac vehemens, quippe Cteſippi diſcipulus. Hippothales adoleſcens eſt amator Lyſidis, neque plus quidquam a Socrate expetit, quam ut ab eo doceatur, quid agendo quis aut

lo-

loquendo, ſibi voluntatem amaſii conciliare poſſit. Cteſippo Sophiſtæ non aliud a Platone munus aſcribitur, quam ut, amorem Hippothalis amaſiique conciliandi rationem ab eo initam Socrati retegens, occaſionem diſputationis de amicitia excitet; inſtituta vero diſputatione, urgeat porro Socratem, ut Menexenum, quem a ſuo ludo digreſſum in diſputando ſatis exercitatum confidebat paria paribus reſponſurum, interroget, obſequaturque Lyſidi, qui poſtulans id a Socrate, Menexenum arte ſophiſtica præfidentem inter æquales impeditum irretitumque videre peroptabat.

II. Invitatus itaque Socrates ad paleſtram ab Hippothale, quicum erat Cteſippus, perinde ac ſi non alio ductus ſtudio, quam quo ceteri ſolent, eo eſſet acceſſurus, quis ibi pulcher ſit, eique maxime videatur, Hippothalem rogat. Quippe diſſimulatio faceta & elegans, cujus perſonam ſumpſerat, id ei dabat, ut ſeſe ad mores omnium attemperare videretur, eoque lenocinio captaret alliceretque homines etiam a ſapientiæ ſtudio maſſime diſſidentes, & uſitatis moribus depravatos. Cum rubore ſuffunderetur Hippothales, iſque rubor augeretur, ubi Socrates in ceteris quidem ineptum ſe faſſus eſt, verum id ſibi

di-

divinitus datum, ut primo conſpectu dignoſcat eum, qui amet & ametur; Cteſippus pudorem carpit Hippothalis, qui Lyſidis laudibus importunus obtundebat aures, in eoque ſe ita gerebat, ut nihil afferret proprium, ſed quæ cani vulgo ſolebant de majoribus Lyſidis, eorumque divitiis & equis victoribus, ad faſtidium uſque repeteret inculcaretque auribus. Quæ Cteſippus tamquam illepida jejuna puerilia carpit ex diſciplina rhetorum aut poetarum, ea Socrates ex prudentiæ decretis, perinde ac ſi nihil in re, quam ſpectabant, eſſet reprehendendum, eamque probaret, tamquam inconſiderata præpoſtera ſtulta improbat. Nam qui prudens in amore ſit, ei non ante amaſius laudandus eſt, quam hujus familiaritatem fuerit aſſecutus; ne videlicet amaſius efferatur, & quo ſuperbior, eo difficilior captu ſit. Stultum morem ſuum agnoſcens Hippothales a Socrate poſtulat, ut amaſii conciliandi, ſi quam callet artem, ſibi non invideat; ac Socrates quid iis, quæ imperite ſolebat effutire, ſubſtituendum ſit, oſtendi ab ſe poſſe pollicetur, ſi Lyſidis alloquendi poteſtatem habeat. Ea longe alio ſenſu, quam quo a Socrate dicebantur, Hippothales interpretatus, in palæſtram, Cteſippo comitante, Socratem in-

introducit, tamquam adjutorem amoris ſui, quem is oppugnaturus erat. Cteſippi conſpectus Menexenum, Menexeni Lyſidem attrahit; qui cum ſederent, Hippothales e longinquo, ne a Lyſide cerneretur, auditurus ſubſtitit. Menexenus, quem præludens animo deſtinatæ diſputationi Socrates interrogare cœperat, alio forte vocatus Lyſidem interrogandum relinquit Socrati, qui ſenſim eo tandem adoleſcentem redigit, ut fateatur, nemini poſſe nos amicos eſſe, neque amari ab ullo in iis, in quibus inepti ſimus; ne a patre quidem amatum iri quemquam, quatenus eſt inutilis. Contra ſi ſapiens fuerit, omnes ei futuros amicos & neceſſarios; quippe cum eo pacto utilis & bonus futurus ſit. Gradus autem, per quos eo ductus adoleſcens eſt, ex eo nectuntur, quod illum parentes eximie diligant; qui diligit, eſſe velit quem diligit feliciſſimum; felix autem is dici nequeat, cui ſubducta poteſtas ſit agendi quæ concupiſcat. Quare cum Lyſidi multiplices a patre domini præfecti ſint, eique poteſtas omnis negata ſit, quæ ſervis conceſſa eſt, arbitratu ſuo gerendi quæ cujuſque fidei peritiæque demandata ſunt; ideoque nulla divitiarum, quibus abundat, utilitas ad ipſum redeat, quippe

quas

quas alii adminiſtrant ; nulla corporis , quippe cui nutriendo colendoque præſunt alii ; quæ cohærere nullo pacto cum felicitate poſſunt ; quærendam eſſe cauſſam , cur qui felicem eum expetunt , a felicitate arceant in eo conſtituta præſertim , ut quis arbitratu ſuo quidvis agat. Cauſſam ex ætate repetente Lyſide , Socrates id fruſtra dici ait : nam in iis , quæ ab eo ſciri vident , ætatem provectiorem a parentibus non expectari , ſed ei concedi poteſtate ſua uti. Quare Lyſis ultro fatetur, ideo ſibi alia permitti, alia negari, quod illa ſciat , iſta neſciat. Quæ cum evolviſſet ex adoleſcentis animo Socrates, & addidiſſet , omnia permiſſurum ei patrem , ubi res melius ab eo , quam ab ſe , adminiſtrari putet , & vicinum pariter & Athenienſes ei permiſſuros adminiſtrationem rerum ſuarum , ſi ſenſerint prudentia ſapientiaque præditum rerum gerendarum ; omneſque nobis ea arbitratu noſtro gerendi poteſtatem facturos , quorum prudentes ſumus ; neminem impediturum , liberos in his futuros , noſtraque futura hæc, quippe cum utilitatem ex iis percepturi ſimus. Contra in iis, quorum nulla nobis prudentia fuerit , non modo extraneos, ſed & maxime cognatos nobis impedimento fore ; nos alte-

 rius

rius imperio ſubjectos futuros, ipſaque futura nobis aliena, quippe cum nullam ex iis utilitatem decerpamus. Ex quo tandem fit, ut quis in iis, quorum ignarus eſt, a nemine amari poſſit; ametur autem in iis, quorum peritus eſt, ab omnibus. Quia vero Lyſidis ætas ea erat, ut ipſa per ſe propter inſcitiam rerum maximarum nihil adoptare ſibi poſſet optimum; ab eo elationem animi, contumaciam abeſſe, magnoſque ſpiritus oportere, ipſo confitente elicit: neque enim quis elate ſapere poteſt in iis, in quibus nondum quidpiam omnino ſapit; neque magnam in iis habere mentem, in quibus nondum mentem habet. Quare præceptis prudentiorum indigere ſe Lyſis agnoſcat oportet, quibus ſeſe fingendum tradat, morigerumque præbeat; neque blanditiis & aſſentationibus eorum, qui mentis animique perfectionem impediunt, inſitiſque cupiditatibus concedendum eſſe quidquam; quæ maxime Hippothali adverſabantur. Quare conturbatus eſt, quippe qui fauturum Socratem exiſtimabat amori ſuo, re vero dicentem ea clam audierat, quibus adoleſcentis animus ad modeſtiam, pudorem, diſciplinæ ſtudium, ac veræ ſapientiæ cultum adductus, ab ſe ſuaque cupiditate diſtraheretur, alio-

que

que amore occupatus, illecebris, quibus allici potiſſimum adoleſcentes ac deliniri ſolent, obſurdeſceret.

III. Cum, abſente Menexeno, præluſiſſet exercitatione ad ingenuam Lyſidis indolem admirabiliter accommodata, ætatique imperitæ peropportuna; redeunte, robuſtiorem ingreditur Lyſidi gratificaturus, qui cum irretitum familiarem ſuum inter æquales, ut fit, verborum concertationibus præſidentem intueri cuperet, a Socrate poſtulat, ut illa ipſa, quæ ſibi, dicat & Menexeno. Quod cum non impetraret (neque enim pugnaci contentioſo, quæ docili diſcendique cupido conveniebant); inſtat, ut aliud ei quiddam proponat arbitratu ſuo. Qua in re Socrates ita ſe cum Menexeno gerit, ut rem ſibi non cum diſputatore veterano præfractoque putet eſſe, qui exagitandus illaqueanduſque ſit, ſed cum adoleſcente præfidente quidem, ut e ſophiſtarum diſciplina prodeuntes ſolebant, & ventoſo, vaniſque doctrinæ fucatæ præſtigiis occupato, verum nondum adeo confirmato infectoque, ut elui nebulæ detergique nequeant. Itaque more ſuo perſona inveſtigatoris magis, quam refutatoris aut præceptoris, ſumpta, rationum, quæ de re communi vulgo afferuntur, & indubitatæ putantur ab iis, qui mercede accepta

non aliam ſapientiam docebant, quam quæ popularibus opinionibus accommodata erat, imbecillitatem agnoſcendam adoleſcenti exhibet; oſtenditque non aliud a notionibus confuſis & inexploratis expectari poſſe, quam confidentem inſcitiam. Quo fit, ut non aliud Socratis inſtitutum ſit, quam ut homines adducat ad eam inſcientiam, quæ philoſophiæ cauſſa ſeu principium a Tullio dicitur libro primo de Natura Deorum; qui locus interpretum laborioſis conjecturis ac minime neceſſariis vexatus miris modis eſt. Tullius enim, cum ait varias hominum ſententias de natura deorum magno argumento eſſe, cauſſam, ideſt principium philoſophiæ eſſe inſcientiam, prudenterque Academicos a rebus incertis aſſenſionem cohibuiſſe, idem ait, quod Epictetus (*a*): Ἀρχὴ φιλοσοφίας συναίσθησις τῆς αὐτοῦ ἀσθενείας καὶ ἀδυναμίας περὶ τὰ ἀναγκαῖα· αἴσθησις μάχης τῆς πρὸς ἀλλήλους τῶν ἀνθρώπων, καὶ ζήτησις τοῦ παρ' ὃ γίγνεται ἡ μάχη, καὶ κατάγνωσις, καὶ ἀπιστία πρὸς τὸ ψιλῶς δοκοῦν. *Principium eſt philoſophiæ imbecillitatis infirmitatiſque ſuæ neceſſariis in rebus animadverſio; animadverſio pugnarum*

(*a*) Arrian. l. 2. c. 11.

rum inter ſe hominum, cauſſarum inquiſitio pugnæ hujus, & condemnatio nudæ opinionis, ac diffidentia.

IV. Socrates igitur, qui ſe tam rerum inſcium, quam inveſtigandi cupidum aſſimulare ſolet, ut interrogandi ſibi quæ velit poteſtas facta ſit, & e rerum exteriore ambitu conjiciat in interiora nec opinantes eos, quibuſcum ſibi res eſt, includatque continuatione ſerieque notionum, e quibus evadendi ſpes intercluſa ſit ad indefinita, neque diſtincte perſpicue diſtributeque ſignificantia quidpiam, ut ii ſolent, qui, nulla ratiocinationis inita ſemita, libere ſubſultare, ſuſque deque vagari poſſunt; eumdem ſecutus morem in amici natura inquirenda, Menexenum obſecrat, ut ſeſe adjuvet in ea re, quam efflictim deperit: nam cum alii alia cupiditate teneantur, alicujus amici ſibi comparandi ſtudio vehementer incendi, beatoſque Lyſidem & Menexenum exiſtimare, qui juvenes tantam poſſeſſionem, tam propere ac facile conſequuti ſint, cum ipſe tam provectus ne norit quidem quomodo fiat quis amicus alteri. Quare tamquam a perito doceri cupiens, primo quærit, num qui amat amicus ejus ſit, qui amatur; an qui amatur ejus, qui amat; an nihil interſit. Cum nihil intereſſe fateretur imprudenter Mene-

xenus, a Socrate facile revocatur, aſſentiturque neutrum neutrius amicum eſſe, niſi ſe viciſſim ament. Si nihil amicum amanti eſt, quod non amat viciſſim; neque amicus equorum, neque ſapientiæ quis appellandus, vel amare quis hæc ipſa non amica dicendus erit. Quare perperam a poeta vocatus eſt beatus, cui nati & equi & canes venatores amici ſunt. Quod cum Menexenus non auderet confiteri, cum auctoritas Homeri pondus haberet in ſapientia populari maximum; colligit ex eo Socrates, quod amatur, ſive amet, ſive odio habeat, ei, quod amat, amicum eſſe; quo fit, ut hoſti quis amicus ſit, & amico hoſtis. Id a ratione prorſus alienum eſſe Menexenus animadvertens, fatetur, ab ſe non poſſe expediri, quid ſtatuendum ſit, ſi neque qui amant, neque qui amantur, neque qui & amant & amantur, amici ſint; cum fruſtra quæratur ac præpoſtere, cui nomen amici conveniat, antequam definitum fuerit, quid ipſum amicum ſit.

V. Ipſe Socrates exitum ex ea via, quam ingreſſus erat, inveniri poſſe deſperans, aliam inquirendam eſſe putat, aſſentiente Lyſide; miſſoque Menexeno, qui non ſatis ad intelligendum comparatus erat, ſocium ſibi Lyſidem inveſtigatio-

tionis eligit, cujus ingenio philoſophico diſcendique cupido delectari ait; poetas autem duces, quos tamquam ſapientiæ parentes vocat, ne videatur ab omnium doctorum intelligentia abhorrere. Horum autem Homerus princeps amicitiæ deum auctorem facit, qui ſimilem ad ſimilem allicit; quocum ii conſentiunt, qui de rerum univerſitate diſſeruerunt. Nam neceſſario ſimile ſimili ſemper amicum eſſe. At ſi ſimiles eſſe dicantur improbis improbi, hos Socrates infert amicos eſſe inter ſe non poſſe, quod injuriam invicem inferre ac pati ſoleant. Si vero ſtatuatur, bonos ſolos eſſe bonis ſimiles, quippe cum alteri ſimile nullo pacto poſſit & amicum id eſſe, quod ipſum ſibi diſſimile ſit, & ſecum diſcrepet; improbos autem eſſe conſtet ne ſui quidem umquam ſimiles, ſed vecordes, ideoque neque cum bonis neque cum malis apte cohærere poſſe; initio Socrates quod quærebat jam ſibi monſtratum eſſe ſimulat, & aſſentitur amicos eos eſſe, qui boni ſint. Verum rem paullo diligentius expendens, aſſenſionem revocat, cum ſimile ſimili nullam utilitatem poſſit afferre, quod unumquodque ſibi per ſe non afferat; ſeſe autem inter ſe nequeant amare, ſibique amica eſſe, quæ ſibi mutuo nullum adjumentum af-

Digitized by Google

ferre queant. Quare neque bono bonum amicum eſſe poſſe ; quippe bonus , qua bonus , ipſe ſibi ſufficit , nemine prorſus indiget , ideoque magni faciendi quempiam & amandi nullam omnino cauſſam habet.

VI. Hic hærens Socrates a ſimilitudine diſcedendum ait , quam Homerus poeta , phyſicuſque Anaxagoras induxerant ; & videndum , num certius quidpiam expectari poſſit ex eorum ſententia , qui ſimiles a ſimilibus , & bonos a bonis maxime diffidere ſtatuentes , nectebant ex contrariis amicitiam. Quare ſubſtituit Homero Heſiodum , cujus eſt vulgatum dictum :

Καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει , καὶ ἀοιδὸς ἀοιδῷ·
Invidet & figulus figulo , vatique poeta :

Anaxagoræ vero ſubſtituit Heraclitum , qui cum videret appeti ſiccum ab humido , calidum a frigido , plenum a vacuo , obtuſum ab acuto , ab amaro dulce , contrariumque ali a contrario ; ſtatuebat amica eſſe inter ſe maxime diſſimilia , cogique neceſſitate inopem ut locupletis , infirmum ut robuſti , ægrotum ut medici , imperitum ut periti favorem amet , & amicus ſit. Sed qui ſtatuat contrarium amicum eſſe contrario , confiteatur oportet , inter ſe amica eſſe inimicum , ami-

amicum; juſtum, injuſtum; temperatum, intemperatum; bonum, malum, ſi contraria, qua contraria, dicuntur amica eſſe. Quæ cum abſurda ſint, neque ſimile ſimili, neque contrario contrarium amicum erit. Quoniam ad amicitiæ naturam ipſæ per ſe neque ſimilitudo neque diſſimilitudo quidquam conferunt; quippe quæ prorſus externæ ſunt & adventitiæ, nulloque cum ea vinculo inſito colligatæ.

VII. Ne, quid vere amicum ſit, agnoſcendi ſpes abjicienda ſit omnino, Socrates quaſi talum a ſacra linea movendum ait, & quærendum, num id forte ſit boni amicum, quod neque bonum neque malum eſt; ac ſe plane, quo ſe conjiciat, ignorare profitetur; ſed incertis undique dubitationibus agitatum eo ſe impelli antiquo proverbio pati, ut ſuſpicetur, id amicum eſſe quod pulchrum eſt, & bonum eſſe pulchrum; ideoque pulchri & boni amicum id eſſe, quod ipſum per ſe neque pulchrum neque bonum ſit. Neque enim, ſi cui quid amicum eſt, aliud excogitari poteſt; cum trium generum, quorum unum eſt bonum, alterum malum, tertium neque bonum neque malum, excluſa duo priora ſint, ultimumque tantummodo relinquatur, quod neque

ma-

Digitized by Google

malo neque ſibi ſimili poteſt amicum eſſe, ideoque ſupereſt, ut bono ſit. Boni autem amicum fieri propter mali præſentiam, antequam ipſum factum ſit malum a malo, quod habet; neque enim, ſi malum factum ſit, eſſe boni amicum poſſe. Quæ longe a ſophiſtarum intelligentia diſſita Socrates explicaturus animadvertit, alia quidem ejuſmodi eſſe, quale eſt quod adeſt, alia non eſſe ejuſmodi. Sic ſi flavæ comæ ceruſſa tingantur, iis albedo quidem adeſt, at non albæ ſunt iccirco, ſed albedine præſente neque albæ, neque nigræ. Verum ubi ſenectus eumdem colorem hunc inferat, albedine præſente, tunc albæ revera ſunt. Haud abſimili modo quod neque bonum eſt neque malum, interdum præſente malo nondum malum eſt; & cum nondum præſente malo malum ſit, ipſa mali præſentia facit, ut bonum appetat. At ſi malum jam ſit, ipſa mali præſentia, qua factum eſt malum, avertitur a boni cupiditate & amicitia. Ex quo fluit, neque ſapientes, ſive dii ſint, ſive homines, neque ſic ignorantia imbutos infectoſque penitus, ut mali ſint, verum eos philoſophari, qui ſic inſcitiæ affecti malo ſunt, ut nondum vecordes ſint & indociles, ſed ſentiant ea ſe neſcire, quæ neſciunt.

VIII.

Digitized by Google

VIII. Quum, aſſentientibus Menexeno ac Lyſide, Socrates inventum ab ſe putaret quid amicum ſit, nimirum ubique bono propter mali præſentiam id amicum eſſe, quod neque bonum neque malum eſt; ac magna lætitia perfunderetur, importuniſſima ſuſpicione oborta, repente prædam, quam læto animo complectebatur, e manibus extorqueri moleſte fert. Veretur enim, ne ſomnio ditatus ſit, ac tamquam in homines jactabundos, & inania magnifice pollicentes, in fallacem amici naturæ ſpeciem inciderit. Nam quod amicum eſt alterius, amicum ejus eſſe propter aliquid, & cauſſa alicujus; atque hoc ipſum oportet amicum ſit, quemadmodum corpus amicum eſt medicinæ propter morbum, qui malum quid & inimicum eſt; cauſſa ſanitatis, quæ bonum quoddam & amicum eſt. Quare quod neque bonum neque malum eſt, propter malum & inimicum boni, amicum eſſe boni & amici cauſſa. At ſi quid amicum eſt boni & amici cauſſa, ipſum hoc boni alterius & amici cauſſa alterius amicum erit; atque ita deinceps in infinitum. Quare deveniendum ad quoddam principium, quod ad amicum aliud non referatur, ſed in ipſum id deſinat, quod primum amicum ſit, cujus cauſſa dicantur & alia ami-

Digitized by Google

amica omnia tamquam ſimulacra quædam illius, quod vere amicum eſt. At ſi quod vere amicum eſt, illud ipſum eſt, quo deſinunt omnes hæ, quæ dicuntur amicitiæ; concludit Socrates, id non amicum eſſe alicujus amici cauſſa, ſecus atque paullo ante definitum erat.

IX. Rurſus alterum expendens, quod communi conſenſu poſitum erat, bonum amari propter malum, quærit, num, tria cum ſint, bonum, malum, & neutrum, ſi malum forte ſublatum omne ſit, ac duo reliqua maneant, nullam nobis, qui malum inter ac bonum ſiti ſumus, utilitatem bonum allaturum ſit, perinde ac ſi bonum ipſum per ſe nullum uſum habeat. Id ſibi videri fatente Lyſide, quo res evaderet ignorante, Socrates ad examen revocat, quod imprudenter conceſſum erat. Quærit itaque, num, etſi de medio ſublata mala fuerint, appetitiones aliquæ neque bonæ neque malæ ſupereſſe queant; cum neceſſe non videatur, ut una cum malis ea pereant, quæ mala non ſunt. Si ſuperſunt, qui appetit & amat aliquid, ejus, quod appetit & amat, neceſſe eſt ut amicus ſit. Quare malis ſublatis nonnulla amica erunt. Igitur, cur quis amet & ametur, cauſſa exiſtit ab ea diverſa, quæ allata

fuit,

fuit, cum diceretur id, quod neque bonum neque malum eſt, amare bonum propter malum. Eſt autem amicitiæ cauſſa appetitio. Porro quod appetit aliquid, eo indiget; quod autem indiget, eo indiget, quo ſpoliatum fuit. Quamobrem amor, amicitia, appetitus ſunt *οἰκείυ*, nimirum ejus, quod cognatum eſt; ideoque inter ſe natura cognati amici ſunt: neque alter alterum expetere poteſt & amare, niſi aut animo, aut indole animi, aut forma, aut moribus is ſibi cognatus ſit. Natura vero cognatum neceſſario amat.

X. Quare Socrates eo ſeſe referens, ex quo diſputationis occaſio ducta eſt, cum natura cognatum neceſſario amet, neceſſarium eſſe pariter efficit amatori germano minime fictitio, ut ametur ab amaſio. Lyſide Menexenoque vix annuentibus, Hippothalis, qui ſibi putabat ea favere, præ lætitia non vultus manſit colorque ſuus; at ei cito lætandi cauſſa prærepta eſt. Nam amici natura, qua gaudium Hippothalis nitebatur, incerta deprehenditur a Socrate rem attentius explorante. Animadvertit enim, ſi cognatum a ſimili differat, inventum exiſtimari poſſe quid amicum ſit: verum ſi cognatum & ſimile unum quiddam idemque ſint, jam antea demonſtratum eſſe, ſimile

ſi-

ſimili ſecundum ſimilitudinem nullum uſum afferre ; quod autem infructuoſum ſit , amicum eſſe nullo pacto poſſe. Sed , neque ſi differant , rem planius expediri monet. Nam cum bonum non ſit cognatum cuilibet , neque malum alienum , at malum malo , bonum bono , neutrum neutro cognatum ſit ; ſi qui cognatum amicum eſſe dicat , id admittit , quod ante repudiatum eſt. Quippè non minus improbus improbo , quam bono bonus amicus erit. Miſſa itaque cognati & ſimilis inter ſe comparatione , quæ nihil omnino promovet , videndum eſt , num res melius expediatur comparandis inter ſe cognato & bono. At ſi dicatur , idem eſſe bonum & cognatum ; bonum bono ſolum amicum erit. Verum id in ſuperioribus refutatum eſt. Quamobrem eo diſputatio tandem evadit , ut ſi neque amantes , neque amati , neque ſimiles , neque diſſimiles , neque boni , neque cognati amici ſunt ; non habere ſe quid omnino dicat , ultro Socrates fateatur. Seniorem aliquem excitare cogitabat ; at cum pædagogi ſubbarbara voce obſtrepentes , & pluſculum poti feſtis Mercurialibus Lyſidem & Menexenum e congreſſu domum adducturi abſtraherent ; diſcedentibus , nihil , ait , aliud eſſe diſputando comparatum ,

tum, quam ut ridiculi ſpectatoribus ipſe ſenex, ipſique pueri videantur, quod ſe inter ſe amicos putent, & invenire non potuerint quid amicus ſit.

XI. Ex oblato dialogi conſpectu patet, in eo Socratem nihil aliud ſibi propoſuiſſe more ſuo, quam ut perverſitatem amoris, quo flagrabat Hippothales, retunderet; Menexeni confidentiam e ſchola ſophiſtarum hauſtam converteret ad modeſtiam, eumque convictum inſcitiæ, vanitatiſque doctrinæ, qua fidebat, ad ſaniora ſtudia compelleret; Lyſidis autem animum optime natura comparatum a doctorum ac morum communium inſidiis & contagione defenderet, & injecta diffidentia cautum & circumſpectum redderet, oſtendendo qua ratione vulgares opiniones explorari debeant. Quo pacto vero quærenda veritas, & quibus ex principiis nectenda ſit, altioris eſſe indaginis, quam ut adoleſcenti, aut alio cupiditatibus avocato, aut ineptiis opinionum innutrito, aut nondum germanæ doctrinæ ſacris initiato ritu Platonicorum, accommodari poſſit. Animus enim a concretione rerum ad formas ſempiternas ex ſenſu Platonis, qui ſuam Socrati perſonam impoſuit, evehendus eſt. Evehendus eſt ad ipſum per ſe pulchrum, ad id quod vere eſt, ad ipſum bo-

bonum, quod in eo, quod vere eſt, eximie maximeque ſplendeſcit: ad ea, quæ illuſtrat verum, & quod vere eſt; nimirum ad ideam boni, quam Plato vocat boni filiam, aitque tribuere cognitis veritatem, & cognoſcenti vim. Quæ Proclus (*b*) gradatim exponens, bonum ait eſſe, quod univerſa conſervat, & conſtituit, explet ac perficit; τὸ σοφὸν parere quodammodo lucem intelligibilem, & primas formas; pulchrum demum in ſummis formis eſſe ſitum, atque ſuppeditare lætitiam, familiaritatem, amicitiam. Tria hæc cum omnia impleant atque pervadant, neceſſe eſſe, ut quæ implentur, per cognata revertantur ad unumquodque, cum eoque conjungantur. Ad pulchrum, quod omnia ſecunda connectit, interque ſe conciliat, & cauſſa perfectionis eſt; & eorum, quæ manant ex ea perfectione, omnium reverſionem fieri per amorem, qui præſtantiſſima genera, præſtantiſſimaſque animas, perinde ut a pulchro participant, inter ſe colligat. Per veritatem autem ad ſapientiam, qua & ipſa mens repleta cognoſcit entia, & cujus animæ participes in-

(*b*) Lib. 1. Theologiæ Platonicæ cc. 21. 26.

intelligenter agunt. Ad bonum demum neque cognitione neque actione, ſed collocatione, ſtabilique permanſione & quiete opus iis eſſe, qui cum eo quaſi coagmentari properant; quippe cum bonum ſit portus univerſorum entium, in quo conquieſcendum eſt.

XII. Corruit ergo ſyſtema decretorum, quæ ex ea diſputatione Serranus exculpſit. Ait enim, a Socrate tradi diſcrimen veræ amicitiæ a falſa; veræ amicitiæ definitionem, cauſſis ipſius notatis; uſum denique ipſius. Veram amicitiam definiri, ſinceram communitatem omnium rerum, quæ in vita communi verſantur; ut quidem prima communitas ſit animorum ſtudiorumque conſenſio, quæ morum ſimilitudine innixa, & vitæ uſu mutuiſque officiis firmata permanet in varios multipliceſque uſus ſocietatis humanæ. Cauſſam illius notari duplicem, Deum, & cognationem affinitatemque animorum. Ad has adjungi neceſſitatem incommoda depellendi, quibus obſeſſa vita eſt, & coguntur homines, ut ſecum invicem aſſueſcant, ac mutuam ſocietatem colant. Deum tamen eſſe cauſſam principem; ceteras ſecundas tantum, & nobis proximas, & παρωνύμως ab illo ſummo φίλῳ, ſeu Deo, deduci. Explicari porro

cauſſarum duarum proximarum vim maximam, nimirum ut animorum ſimilitudine & cognatione, vitæque neceſſitate contineantur homines in officio ad mutuam amicitiam colendam: ſed neceſſitatem a ſimilitudine & cognatione longe lateque differre. Duas autem priores bonis viris tantum eſſe proprias, ultimam improbis etiam communem. Denique ſummam utilitatem amicitiæ demonſtrari, nimirum antecellentem rebus omnibus, quæ cadunt in vitam hanc, ut ſit ſummum ſcelus non habere rationem amicitiæ. His generatim propoſitis, cum ad rem ventum eſt, ſtatuens, hic agi de cauſſis amicitiæ efficiente & finali, ſeu quæ ſit ejus origo, qui denique finis & uſus; ex eo, quod ad primam attinere putat, invenire primo ſibi viſus eſt problema, utrum amicitia in uno tantum eſſe poſſit, an mutua potius eſſe debeat; ejuſque ſolutionem, quæ decernit, in amicitia requiri mutuam conſenſionem: atque etſi concedat fieri poſſe, ut quis non amatus amet, hanc tamen eſſe claudam amicitiam & imperfectam. Deinde varia theoremata enucleat. Ac primum quidem ex Homeri verſu, Deum eſſe veram & efficientem amicitiæ cauſſam, qui conciliet & componat animos hominum, ut inter ſe conſpi-

rent

rent morum ſimilitudine, in qua vera amicitia ſita eſt. Secundum ex eiſdem Homeri verbis collectum, inter bonos tantum verſari amicitiam, neque ullam inter improbos eſſe poſſe. Quare proximam amicitiæ cauſſam eſſe ſimilitudinem animorum ex virtute proficiſcentem, quam tamen Deus efficacem reddat, ut cauſſa princeps. Secundi theorematis ἔλεγχος porro collocat, afferrique ait argumenta probabilia, quod amicitia non ex ſimilitudine, ſed ex contrariis potius coaleſcat; quæ omnia diſputando non docendo afferri monet in utramque partem. Tertium eſſe theorema de origine amicitiæ ſtatuit; eam propter vitæ neceſſitates natam eſſe, varioſque in uſus permanare, ita tamen ut ipſa proprie non in rebus humanis, ſed in Deo tantum conſtet; cui præmitti primo axioma, pulchrum ſeu Deum amicum eſſe. Deinde ratione hypotheſis inſtitutæ, quatenus amicitia cadat in vitam humanam, tria quædam eſſe genera hominum; ipſamque vitam hominum, aut humanam ſocietatem intelligi οὐδετέρου nomine, quippe cum ipſa per ſe neque bona neque mala ſit; homineſque conſiderentur, quatenus ſunt homines nullo alio affecti modo. Demum a Socrate ſtatui, propriam eſſe amicitiam οὐδετέρου, ſeu neque

Digitized by Google

boni neque mali; cum bonus ea non egeat, & malus capax non ſit; eoque ſpectare, ut incommoda neceſſitatis ablata ſint. Sed cum amicitia quædam eſſe videatur inter bonos etiam & malos; iccirco poni quidem in Deo *αὐτόφιλον*, in hominibus autem *φίλα κατὰ συμβεβηκὸς ex eventu*. Eorum autem, quæ ex eventu ſunt, quoddam eſſe genus *ἀχώριστον*, quoddam *χωριστόν*. Quare amicitiam in bonis viris eſſe conſtantem, in malis inſtabilem. Poſtremo concludi notat, utilitatem amicitiæ latiſſimam eſſe, propterque neceſſitatem conſtitutam fuiſſe; quæ doctrina pertinet ad finem & uſum humanæ amicitiæ. Quæ ſeries quam hiulca, perturbata, nulloque vinculo connexa ſit, & ab arte, quæ Platoni ſumma tributa eſt in dialogis, aliena, facile judicari poteſt.

XIII. Poſtquam autem abſoluta videri poterant quæ de amicitiæ cauſſa uſuque dicenda erant, nova ſeſe Serrano exhibet explicatio de amico primo, ſeu Deo, cauſſa amicitiæ principe. Nam eo ſpectare Socratem ait, ut amicum primum diſtinguatur ab amicis illis, quæ *εἴδωλα ἄττα* vocat; Deum eſſe auctorem & cauſſam ſocietatis humanæ doceat; eumque finem eſſe debere propoſitum

ſitum amicitiæ, quæ ad ſocietatem continendam apta eſt; quod amicitia neceſſitatis cauſſa comparata ſit in hac humanæ ſocietatis οἰκονομία, propterea colendam etiam & amandam eſſe. Ex proximis autem cauſſis recurrendum ad ſummam amicitiæ cauſſam Deum; atque etſi neceſſitas illa humana ceſſaret, conſtanter permanſurum τὸ πρῶτον φίλον. Tamen amicitiam inſtitutam eſſe neceſſitatis gratia; neceſſitatem eſſe cauſſam amicitiæ proximam; cauſſæ proximæ rationem eſſe τὸ οἰκεῖον & ὅμοιον. Eſſe quidem unam omnibus communemque naturam; at eſſe quoſdam in ſingulis ad amicitias copulandas igniculos peculiares. Tandem univerſæ diſputationis ſumma capita repetendo finem imponi ait, quæ ſunt, mutuam inter amicos eſſe συμπάθειαν, ut alter alterum mutuo amet; morum cognationem atque ſimilitudinem eſſe firmamentum amicitiæ germanum & verum; amicitiam eſſe rerum omnium humanarum utiliſſimam cognationem; εὐχάριστον & ὁμοίαν in bonos tantum cadere, cum improbi moribus inter ſe diſcrepent; quo fit, ut amicitia tantum in bonis ſit. Hiſque poſitis, monere Socratem, ait, ab ſe diſputatum eſſe de amicitia πειραστικῶς *in utramque partem*.

CAPUT XI.

Quam multæ vitiorum ac virtutum formæ ex voluptatis aut exiſtimationis ſtudio, opibuſque earum alterutri vel utrique addictis effloreſcant.

I. Voluptate & exiſtimatione, quarum illa in ſenſu nata cujuſque ſuo, neque foras uſquam permanans, in eo penitus inſidet; excitata hæc ex ſenſu alterius, extrinſecus alteri affunditur; ea continentur, quæ ſeſe humanæ cupiditati prima offerunt: facultates autem & copiæ ad alterutram aut utramque referri vulgo ſolent, pro diverſa indole animi. Quæ cum inter ſe varie permixtæ ſunt, ex iis morum conſtitutiones multiplices, & variæ quaſi formæ vitiorum ac virtutum prodeunt. Ac eorum quidem, qui opes in voluptatem collineant, Salluſtius (*a*) exemplum ſuppeditavit in Sempronia. *Litteris*, inquit, *Græcis & Latinis docta*; *pſallere & cantare elegantius, quam neceſſe eſt probæ*; *mul-*

(*a*) In bello Catilin.

multa alia, quæ inſtrumenta luxuriæ ſunt. Pecuniæ an famæ minus parceret, haud facile diſcerneres. Sæpe fidem prodiderat, creditum abjuraverat; luxuria atque inopia præceps abierat.

II. Honori vero ſubjicientium divitias exemplum eſſe poſſunt Agis & Cleomenes a Plutarcho deſcripti. Nam cum in civitatem auri argentique admiratio irrepſiſſet, & poſſeſſioni divitiarum ſordes & avaritia, fruitioni vero & uſui luxus, mollitia, & immoderata profuſio ſeſe comites addidiſſent; Agis indole ductus & magnitudine animi voluptati ac deliciis, quibus enutritus erat, indixit bellum, omnique rejecto ſumptu magnifico, ſeſe victu cultuque prodidit Lacedæmonium. Porro ſuſcepto conſilio bonorum inter cives exæquandorum ea lege, quam Lycurgus ſanxerat; a matre locupletiſſima femina obtinuit, ut ejus opibus uti liceret ad laudem & gloriam ſibi comparandam eximiam: quippe ſi, regum ceterorum luxui frugalitate prævalens ac temperantia, bonorum exæquationem conſtituiſſet civibus, tum demum ſibi regis vere magni nomen ac decus comparatum iri. Quæ cum ei cecidiſſent improſpere, Cleomenes laudis cupidus, magnanimus, ad frugalitatem ac temperantiam egregie natura comparatus, acriter

in id incumbens, quod honeſtum ei videretur; honeſtum autem ratus non modo volentibus imperare, ſed etiam invitos ac repugnantes ad id adigere, quod rectum eſſet; ad movendum civitatis ſtatum Lacedæmonios commiſit cum Achæis, pecunia vicit Ephoros, ut bellum ſibi permitterent, aliosque multos conciliavit adjuvante matre, quæ filii conſiliis obſecundans & gloriæ, nummos ei large ſuppeditabat. Eo demum adducta re, ut æqualitati bonorum obſiſtere nemo poſſet, aut auderet, primus ipſe ſuum patrimonium in medio poſuit.

III. Quæ cum ſpectent ad opes exiſtimationi, voluptate poſthabita, unice addictas, ad utramque referentium exemplum in Plutarchi Demetrio & Antonio videre licet, qui bellicoſi, munifici, ſumptuoſi, luſtriſque ſimul ac vino dediti, Platonis (*b*) effatum comprobarunt, quo is, ut magnas virtutes, ſic magna vitia proferri a magna indole tradidit; & quo majora animus ſine optimi ſcientia circa divitias, aut robur corporis, aut aliud ejuſmodi conabitur, eo majora ex iis effundi peccata neceſſe eſſe; multiſque & variis

(*b*) In Alcibiade ſecundo.

riis artibus ac ſcientiis ornatum, iſtius autem expertem ſcientiæ, dum a ſingulis aliis ducitur, multa merito tempeſtate jactatum iri, quippe qui gubernatore carens oberrat in pelago brevi tempore periturus. Demetrius enim, cum oppreſſam a Caſſandro ac Ptolemæo liberare Græciam animo inſtituiſſet, in Græcos pro laude & gloria collectas ex præda barbarorum effudit opes. Quamobrem ab Athenienſibus in libertatem aſſertis, eique immodicos honores decernentibus inter alia ſcitum fuit, ut quidquid juſſiſſet is, & fas eſſet apud Deos, & jus apud homines. Contra vero, quam in bello ſobrius, tam in pace projectus ad luxum delicias & voluptates erat; & cum Athenienſibus, dum divinis honoribus afficiebatur, imperaſſet & acerbe exegiſſet magnam auri vim, Lamiæ præberi juſſit: in Macedonia vero nullo exemplo non modo ſeſe, caputque duplici tænia vinctis ornabat cauſiis, auroque intertexta purpura, ſed & ornatas purpura pura ſoleas adhibebat pedibus; & chlamydem ad mundi ac ſiderum ſimulacrum elaboratam ne gereret, rerum converſio, qua luxus & ſoluta vitæ ratio peſſum ejus fortunam dedit, impedimento fuit. Demum amiſſo regno, reliquum tempus alea poculiſque tra-

Digitized by Google

traduxit, ſive ut conditionis præſentis vitaret cogitationes, quibus angebatur ſobrius; ſive quia perſpiciebat hanc eſſe vitam, quam jamdiu captaſſet, & ab ea temere vecordia & inani ambitione abductus eſſet, ac multum ſibi ceteriſque negotii exhibuiſſet, in armis claſſibus & caſtris felicitatem quærens, quæ tum ei ſeſe nec opinato in otio offerebat. Neque enim alium eſſe regibus terminum non ideo male conſultis, quia voluptates tantum venentur ac delicias honeſti virtutiſque loco, ſed quia nec jucunde vivere, neque ſeſe vere oblectare ſciant.

IV. Quod autem attinet ad Antonium, liberalitas cum militibus, & amicis nihil aſtricta tributum & parca manu, præbuit ei magnam ad potentiam aditum, ejuſque, cum jam magnus evaſiſſet, majorem in modum amplificavit opes, quas infinita alia vitia pervertebant. Nam bonis inviſæ ſaniſque viris erant intempeſtivæ perpotationes, odioſi ſumptus, volutationes in luſtris, comeſſationes nocturnæ, commorationes in mimorum & ſcurrarum nuptiis, menſarum exquiſitarum apparatus, pudicorum virorum & matronarum domicilia ſcortis ad divertendum & ſambucyſtriis attributa. At natura præſtantior erat in rebus aſpe-

pe-

Digitized by Google

peris, & fortuna preſſus improſpera germaniſſimus videbatur bonus vir. Quod videbatur mirum, cum ſit quidem commune preſſis anguſtia virtutem agnoſcere, verum non omnes ea, quæ in rerum viciſſitudinibus approbant, imitari, neque ab iis, quæ improbant, abſtinere queant; immo quidam magis etiam inertia victi concedant moribus priſtinis, & rationes apte ſubductas ignave repudient. Rebus porro commutatis, rurſus in vitam perditam atque luxurioſam relabebatur, & in mimos, præſtigiatores, aſſentatoreſque vinolentos argentum acerbe coactum abſumebat: homines nobiles facultatibus expoliabat, quas adulatoribus & nebulonibus largiebatur; amorque demum Cleopatræ multa in eo quieta & abdita vitia excitavit, oppreſſitque, ſi quid iis honeſtatis & virtutis obſiſteret.

V. Quæ ſane intemperies ex eo manant, quod humani cupiditas animi, quæ cum eſt ex ſingularibus omnibus apte quaſi compoſita, tum demum, quæ cum humana natura congruunt, omnia complectitur, & inter omnia recte convenienterque ſita eſt, in iis, qui memorati ſunt, carebat elementis quibuſdam, quibus ea, quæ aderant, temperari apte oportebat, ob eamque

rem

rem ſoluta quaſi vinculis, quibus in medio retineri poterat ac debebat, ut eſſet omnium particeps, alternis ad extrema facile prolabebatur; & eo longius a cupiditate aberat expleta partibus omnibus, anguſtiorque reddebatur, quo longius a centro recedebat, in quo, tamquam in foco radii lente refracti vitrea, univerſæ cupiditatis cogenda vis eſt. Quod profecto centrum cum non ſit in linea, cújus in altero extremo collocata laus ac dignitas, in altero voluptas eſt, humanæ cupiditati ſigna duo maxime expoſita, primaque peti ſolita, ſed in linea conjungente centra quaſi gravitatis bonorum omnium; ideo, ſi ſeſe animus ab uno extremo abducat, ac retro referat, aliquo forte caſu depulſus, aut ſatiatus eo, quo antea nitebatur, non in centrum incurrit, in quo ſolo cupiditas imperfecta perfici, ſeu corrigi & emendari poteſt; ſed eamdem dum redit, atque dum progrediebatur, inſiſtens viam, quæ breviſſima ſcilicet, & maxime expedita eſt, ſeſe ad voluptatem recipit aut ignavam, ſi ſolutus omniſque diſciplinæ rerum bonarum expers; aut ambitionis habentem admixtum aliquid, ſi ſplendidus, ac liberalis indolis, & artibus ingenuis expolitus ſit, quemadmodum in Lucullo cerni poteſt.

VI.

VI. Is quidem, cum ex adoleſcentia litterata ac modeſta exceſſiſſet, Aſiæque civitates alta pace præclarisque legibus confirmaſſet; quo factum eſt, ut non ſolum a gentibus affectis ab ſe beneficio diligeretur, ſed carus etiam provinciis eſſet ceteris, beatos illos ducentibus, quibus is rector & moderator obtigiſſet; non ita rebus unice bellicis oblectabatur, ut voluptates atque feſtivitates negligeret; ſed civitates Epheſi reſidens ſpectaculis, feſtis triumphalibus, athleticiſque muneribus exhilaravit. Tum autem eadem adductus indole rerum bellicarum gloriæ anteferebat humanitatis laudes atque juſtitiæ, quæ placidæ mentis & eruditæ documentum erant, eiſque non minus, quam armis, ſubegit barbaros. At cum fortuna, quæ comes ei fuerat in rebus gerendis, urgere cœpiſſet omnia, ſplendorque ab inceptis abeſſet & gratia, quamquam imperatoris egregii virtus & conſtantia permanerent, cauſſam ipſo afferente, qui neque vulgi militaris animos conciliare ſtudebat, ratus quidquid imperio ſubjectis adhiberet blandimenti, ſemen eſſe dedecoris, & ruinam auctoritatis ſuæ; neque ſe principibus ac dignitate paribus præbebat comem, eos contemnens, & nihili præ ſe faciens; ob eamque rem Pompejo miſſo trium-

triumphi magis, quam belli, ſucceſſori non tam res gerendas, quam rerum geſtarum præmia reſignare coactus fuiſſet; ægre impetrato Romæ triumpho, deſeruit abdicavitque Rempublicam, & plenus honorum ex multis certaminibus, quæ non undique felicem habuerant exitum, ad elegantem lautam ſplendidam vitam & luxu diſfluentem dilapſus eſt. Quas enim opes ex rebus geſtis paraverat ingentes ac ſplendidas, effudit in ſubſtructiones ſumptuoſas, ambulationum & balneorum molitiones, ſtatuas, tabulas, cœnas inſolentes, non modo ſtragulis purpureis, gemmatis poculis, choris & acroamatis inductis, ſed & obſoniorum apparatu bellariorumque ſingulari & vario ſuſpiciendas, quibus non delectabatur ſolum, verum etiam gloriabatur. Atque cum in his opulentiæ barbaræ quaſi captivæ inſultaret, in librorum ampla delectaque ſuppellectile laudabiliores ſumptus poſuit, quorum uſus erat omnibus expoſitus; quo fiebat, ut ejus ædes Græcum Prytaneum eſſent Romam commeantibus, & Muſarum hoſpitium.

VII. Nam ne ipſa quidem ingenia præclara, ſi cupiditates non apte temperatas & circumſcriptas habeant, modum habere poſſunt. Animi profecto, dum actionibus occupantur, quæ voluptatum

ſunt

ſunt excellentiorum compotes, his retrahuntur a cupiditatibus deterioribus, ac voluptates ſegniores aut obliviſcuntur, aut e longinquo raptimque reſpiciunt. At ſi forte nobiliora, quibus antea retrahebantur, abducta ſentiant, ad ea ſe, quæ perfunctorie perſpiciebant, applicant; & ab iis, quæ deſierunt, animum ad ea referunt, quæ ſuperſunt; perinde ac ſi egregia facta direxiſſent ad voluptatem, & rerum geſtarum præmium in deliciis collocaſſent, quippe cum in has tandem extremus actus deſinat. Sed eo magni quoque viri nonnumquam recidunt evaduntque, non tam quod eo magnopere delectentur, quam ut doloris lenimentum quærant, & ab inſigni aliqua fortunæ offenſione avocandum animum occupent; aut erecti animi captent opinionem, dum læti fortunæ improſperæ contemnunt aſperitatem; aut æmulos ulciſcantur, dum ſeſe non ægros oſtendunt, & indicant habere ſe, quo malevolentiæ damna farciant ac reficiant; expletione ſcilicet alio in genere poſitæ cupiditatis, & ex diverſo bonorum ordine quæſitæ jucunditatis uſu. Siquidem homines infenſi, ſtimuliſque non modo cupiditatis, ſed & æmulationis impulſi, non ſatis actum putant, ſi dejecerint ex eo loco alios, quem ipſi tenere ſtudent,

Digitized by Google

dent, ſi non ſeſe hi dejectos ſentiant, ac dejecti doleant. Illud enim ſatis cupiditati facit; hoc autem malevolentia comes æmulationis inſuper expetit, & ſuſcepto labori deberi putat.

VIII. Porro non ſolum pro diſſimili animorum indole referri divitiæ ſolent aut ad honorem, aut ad voluptatem, aut utrumque, aut ab uno deflecti ad alterum; verum etiam honori diſſimiliter applicari. Neque enim unum honoris ſpectatur genus. Nam alii ſic honorem circumſcribunt, ut nihil majus altiuſque opinione divitiarum ampliſſimarum expetant. Quare divitias explicant ut appareant, neque alium, quam ut monſtrentur, earum agnoſcunt uſum, tamquam olim inter Romanos majorum imagines in armariis ordine collocatas; quod hominis inanis omnino vanique eſt ſtudium. Alii non ſolum in oculis & conſpectu divitias exponunt apte diſpoſitas, hærenteſque ſua ſede; ſed & loco movent, ad alioſque tranferunt aliquid: damnum autem ut ſarciant, in ejus, quod ablatum eſt, locum honorem ſubſtitutum volunt. Atque cum honor tribus conſtet, idea ſcilicet excellentiæ cujuſdam ac meritorum alterius; affectione animi, quæ ſuſceptæ de meritis opinioni reſpondeat; demum externis indiciis ad

affe-

affectionem animi accommodatis, quibus intus excitatum proferatur ſtudium & in actum educatur, inque ſcenam prodeat illuſtris excellenſque gratia; primo expetunt ut egregiam alii de ſe ſuiſque virtutibus opinionem habeant; tum autem ut exiſtimationi pares obſervantiæ, benevolentiæ, cultuſque ſenſus animo concipiant; tandem ut animo ſenſus imbibitos officiis actiſque comprobent. Quæ tametſi, cum æquis finibus incluſa ſunt, expeti recte poſſint ac debeant; cum exiſtimationis indicia fons & origo ſint in ſocietate boni multiplicis; tamen qui, tamquam ad ſcopum, ad ea unice dirigat animum, & in iis conquieſcendum inſtituat; is non tam expendit ſuffragia, quam numerat, neque tam mereri, quam captare ſtudet: quod animi levis & inanis eſt, qui tumore quidem bonam habitudinem imitari poteſt, at parum admodum ſoliditatis habet; aut ſi qua ſit, ea dum laude quaſi delinitur ac fovetur, eo fere pacto liqueſcit ac defluit, quo parhelium ipſa luce, qua gignitur, aboleri ſolet. Nam cylindri, niveus interior, exteriorque fluidus ei circumfuſus, objecti ſolis radiis uterque tantiſper ſolem imitari poſſunt, & oculos intuentium illuſtri ſpecie ludificari, dum lucem, quam

inflexam fluidus permeare ſinit, incolumi ſolidita-te ſua niveus intercipit & reflectit. At niveus hic, dum interea illuſtratur, ſenſim liquefactus dilabitur, eoque dilabente, ſplendor imaginis ex-tenuatur ac vaneſcit. Quare futilibus hiſce inge-niis id adhærere cernitur, ut nihil omnino pro-movere poſſint; & cum nihil ad res promoven-das conferant, ſe magnum aliquid in iis, quæ vi ſuapte accidunt, aut opera ceterorum & in-duſtria preparata ſunt, egiſſe cenſeant, ſi forte manum admoverint. Nam ei, qui laudibus irre-tiri poteſt, animi nervique deficiunt ad progre-diendum, & impedimenta removenda, quibus ob-ſeptum eſt quidquid aliquam amplitudinem aut utilitatem inſignem habet. Hinc Baconus (c), cum eo nitendum eſſe fabro fortunæ monuiſſet, ut virtus per incuriam juſto ſuo pretio non frau-detur, in virtute æſtimanda pretium imminui do-cet, ſi quis virtutis ſuæ fructum in laudibus, plauſu, honore, gratia ſibi præbitis, cito nimis ac leviter ſentiat, in iiſque ſibi placeat; imme-mor prudentis moniti, quo cavendum præſcribi-tur,

(c) De Augment. Scientiar. l. 8.

tur, ne quis inſuetus rebus majoribus videatur, ſi re parva ſeſe quaſi magna delectatum oſtenderit. Quia vero quam ipſi de ſe ſovent opinionem, aliorum ſuffragiis amplificatam ſibi, cum de ſe cogitant, objiciunt ante oculos; ideo quidquid ex opinione ſuarum amplificata virium deduci poteſt, ad res ab ſe vere translatum putant, ac de rerum cauſſis eventiſque perinde judicant, ac ſi quod unice virtus & auctoritas eximia præſtare poteſt, afferri ab ſe potuerit, & allatum ſit. Nempe, quemadmodum ab eodem (*d*) animadverſum eſt, ut muſca radio rotæ currus inſidens apud Aeſopum ſtulto vanoque pertentata gaudio ſecum ait, *Quantum agito commoveoque pulverem*! ſic vani & futiles, cum aut ultro procedit, aut manu potentiore cietur quidpiam, ſi minimam ipſi rei partem attigerint, continuo machinæ ſe toti motum indidiſſe putant.

IX. Ex eadem animi vanitate fluit, ut urbanitati, quæ dicitur, & morum exteriorum elegantiæ plus æquo ſtudeant honoris inanis avidi, ſcenamque traducant in vitam communem: quip-

(*d*) Bacon. in Sermon. 52.

Digitized by Google

pe vultu, geſtu, ſermone, dignitatis aliorum impenſe ſtudioſi videri volunt, ut alios ad ſimilia referenda cumulatius officia provocent, quibus augeri cenſent & illuſtrari dignitatem ſuam. At in re parva qui nimius eſt, is valorem ſui minuit: nam dum illi curæ ſeſe ſubmittit, anguſtiis animi nihil ab ſe magnum comprehendi poſſe arguit, aut animi perverſitate leviora gravioribus anteferre. Id enim ad virtutes ſolidiores ac res gerendas aditum intercipit, animumque impeditiorem efficit. Multum quidem ad famam & exiſtimationem compoſitio morum urbana juvat; ſed prudentia regatur oportet, ac decus nativum quoddam præſeferat; nam quaſi veſtis eſt animi, quæ, ſi qua ſit in animo virtus, eam ornatiorem & magis conſpicuam exhibere; ſi qua deformitas, occultare ſeu colorare debet: tum autem cavendum, ne tam arcta ſit, ut animum anguſtet, ejuſque motus in rebus gerendis cohibeat & impediat, quemadmodum eleganter a Bacono (*e*) traditur.

X. Porro ut inane genus hominum imaginibus ho-

(*e*) Sermon. ultimo.

honoris inanibus oblectatur, iiſque divitiarum uſum & ſua vota terminat, quæ ſuſtineri ſine magna ſoliditate animi poſſunt; ſic honorem quaſi robuſtiorem ii ſibi proponunt, qui ſunt animo quaſi ponderoſiore præditi, magniſque difficultatibus oppugnandis pares. Nam hi ſparſis in vulgus opibus augeri potentia cupiunt, atque dum aliis inſervire videri volunt, ut eos obſecundantes habeant, in alios occulte ſibi dominatum ſtruunt, quod eſt animi plerumque callidi & injuſti, nonnumquam etiam plus æquo ſapientis, & imperiti rerum ac virium cupiditatum, quæ præpollentes in civitate, neque frangi, neque ſapientiæ conciliari poſſunt; ſæpe tandem ab honeſto quidem incipientis, at in prava deſinentis eſt. Nam etſi, dum rem quis aggreditur multorum adverſis ſtudiis impeditam, honeſti ſtudio moveri poſſit; tamen in progreſſu ſeſe rerum eventibus ad iram, ultionem, rapinas, vim ab honeſto ſubinde referre cogitur; ac dum his implicatur, & in mæandros, diverticula, flexioneſque multiplices impellitur, honeſti obliviſcitur, ab eoque diverſus abit; eo fere modo, quo lux impedita varieque detorta corporum amfractibus ſinuoſis, in his penitus inhæreſcit; aut ſi ſeſe expedire poſſit,

averſam a priore, qua tendebat, conſectatur viam. Quare difficultatibus accenſus, ac mutuis aut injuriis irritatus, aut obligatus beneficiis animus, cum deſiſtendum eſſet a re gerenda malis accedentibus idemtidem involuta, quæ bonum commune vitari jubet, manet in incepto obſtinatus, ac tandem aut infecta re ſibimetipſi parat exitium; aut ad exitum adducta, magis ulciſci, partaque potentia prægravare fautores æmulorum, quam ſeſe ad inſtitutum initio conſilium revocare ſtudet: quorum alterum in Gracchis duobus, alterum in L. Sylla Plutarchus animadvertendum exhibet.

XI. Nemo enim apparatu majore virtutum rem honeſtam aggreſſus eſt, quam Gracchi Cajus ac Tiberius. Etſi ceteros indole anteirent, tamen non tam præclare nati, quam inſtituti fuerunt ad virtutem. Atque fortitudinem adverſus hoſtes, juſtitiam erga populares, in obeundis muneribus ſedulitatem, continentiam in voluptatibus in utroque fuiſſe parem. Sed in magna fortitudinis, liberalitatis, moderationis, animique celſitudinis affinitate, magnas in actibus & in Reipublicæ procuratione diſſimilitudines extitiſſe. Vultu motuque blandum Tiberium & compoſitum, acrem

Ca-

Cajum & vehementem : illius orationem ſuaviorem , & magis ad miſericordiam comparatam ; hujus incitatam , ac redundantem affectibus : illius puram & limatius elaboratam ; hujus artificioſam & ſplendidam : in victu menſaque frugalem illum & ſimplicem ; hunc , ſi cum aliis compararetur , continentem & reſtrictum , ſi cum fratre , ſumptuoſum & exquiſitum : moribus demum lenem illum & placidum ; confragoſum hunc & fervidum. His inſtructos præſidiis , cum ager publicus a locupletibus occupatus , ereptuſque tenuioribus , quibus exigua penſione conducendus erat attributus , eo rem adegiſſet , ut pauperes detrectarent militiam , & liberorum curam alendorum abjicerent , actioni manum admoviſſe, qua reſtituerentur inopes in poſſeſſionem iis antea lege datam , ereptamque cupiditate divitum. At cum Lælius , qui ſtudio ductus eodem incommodum idem emendare adortus erat, tumultus metu, quia potentes obſiſtebant , deſtitiſſet , ob eamque rem ſapiens appellatus fuiſſet ; eos , etſi optima indole præditos , diſciplinis imbutos optimis, optimoque delatos ad rem gerendam publicam inſtituto , tamen in ſuſcepto conſilio permanſiſſe , conatuque neque legitimo neque probo conficere perrexiſſe,

 quod

quod honeſte aggreſſi erant, impulſos & irretitos non tam immoderata gloriæ cupiditate, quam excitato non improba cauſſa metu dedecoris. Nam a civibus eximio favore provocatos, tamquam obſtrictos ære alieno, fruſtrari civium expectationem erubuiſſe. Dum autem egregiis actionibus aſſidue vincere certabant honores habitos, ideoque colebantur magis, & pari certamine ſeſe erga populum, & viciſſim erga ſe populum inflammabant, imprudentes in eos eſſe delatos res, ubi jam non erat, quod dici ſolet: *Rectum licet non ſit, deſiſtere tamen inglorium & inhonoratum eſt*. Quo factum, ut interea dum incepta provehere ſtudebant ad exitum, ad interitum ipſi protruſi ſint.

XII. Sylla vero, qui natura jactabundus erat, &, cum ex rei familiaris anguſtiis humiliſque vitæ tenebris emerſiſſet in lucem civium, & honorum cepiſſet guſtum, eo eruperat ambitionis, ut annulo geſtaret imaginem Bocchi Syllæ tradentis, ac Syllæ accipientis Iugurtham, de quo re triumphavit quidem Marius, at facti gloriam invidia conflata Mario Syllæ virtuti attribuebat; ex ſimultate, quam cum eo ſuſceperat exercebatque Marius, anſam arripuit ad perturbandam Rempubli-

bli-

Digitized by Google

blicam; factiſque multis eximiis cum ſibi nomen comparaſſet ducis apud cives magni, maximi apud ſocios, apud hoſtes fortunatiſſimi, ſubinde autem irritamenta nova, novæque offenſiones intercurrerent, opponente ſeſe præ inſana gloriæ cupiditate Mario, ſibique munera depoſcente, quibus impar erat ſenio debilitatus, vigoris ac roboris indigentia, eo tandem evaſit, ut unus in Republica gerere omnia ſuo nutu poſſet. Quo in dominatu corruptum populum, res perturbatas, ægramque Rempublicam, in qua dominus idemtidem aliunde alius exoriebatur, emendare componere conſtituere potuiſſet, & immodicæ potentiæ cupiditati non ſolum excuſationem, ſed & laudem egregiam impetrare, ſi ſeſe non permiſiſſet auferendum iræ conflictu rerum excitatæ; quæ cum inſideret in homine magnis æque virtutibus ac vitiis imbuto, vitia magis, quam virtutes, ad erumpendum impulit. Nam diſpar moribus & inconſtans erat. Rapere multa, largiri plura: honorem habere, & inſultare: colere quos utiles arbitrabatur, moroſus in eos eſſe, qui peterent quidpiam; ut faſtidioſior eſſet, an blandior natura, neſcias: levem ob cauſſam obtruncare homines, contra maxima facinora ferre leniter: offenſionibus graviſſi-

mis

mis dare facile veniam, exiguas perſequi cædibus: ut appareat, eum quidem ingenio iracundo fuiſſe, & ultore animo; ſed, cum eſſet ex uſu, ſeſe cohibuiſſe, convenientemque tempori ſtatuiſſe acerbitati modum. At rerum potitus, omni ſimulandi cauſſa exſolutus, inuſſit eam magnæ poteſtati labem, ut exiſtimari vulgo ſoleat, invertere mores, atque animum ad arrogantiam vecordiam & inhumanitatem adducere; ſive id motio ſit & converſio naturæ quam fortuna cieat; ſive impotentia detectio & explicatio pravitatis inſitæ. Quare cædibus inundata civitate, gloriatus eſt, a nemine ſe neque amicorum benefactis, neque inimicorum injuriis ſuperatum.

XIII. Itaque procul abeſt ejuſmodi ambitio a generoſa indole, cujus indicium eſſe, Baconus (*f*) ait, ſi quis honoribus emendetur; quippe cum honor ſit aut eſſe debeat quaſi locus, qui a natura virtuti attributus eſt. Atque ut corpora, cum ad locum rapide moveantur, in loco placide moventur; ſic eſſe quidem virtutem in ambitu poſſe violentiorem, at ſedatiorem eſſe debere, ſimul

(*f*) Serm. 11.

mul ut, in honore conſtituta fuit. Aſcenſum omnem ad faſtigium dignitatum per abrupta flexuoſa ancipitia impedita fieri: at ubi quis id aſſequutus fuerit, par eſſe tandem, ut ad æquilibritatem ſeſe referat. Sed æquilibritas hæc impeditur in acribus animis ipſa vi, qua de ſtatu dimoti, diuque jactati ſunt. Nam quo vehementius ipſum ſe quidque ciet, præſertim ſi ponderoſum ſit; eo difficilius ad quietem induci poteſt; actumque diverſum, & varie quaſi repercuſſum impedimentis ipſis, etſi ſummota ſint ea, porro diu conſervat impreſſum impetum, urgetque perturbate circumjecta omnia. Hinc etſi finis in re ſuſcipienda poſſit honeſtus eſſe, tamen in exitu frequenter inhoneſtus eſt, ut ut magnis virtutibus aut virtutis imaginibus promotus ſit; niſi quis honeſti ſtudio ſic imbuatur, ut id elui nulla perturbatione poſſit.

XIV. Eo cum ipſa honeſta incepta deſinant, quo tandem ea ſunt evaſura, quorum eſt ipſa per ſe prava indoles, quæ nimirum eo conſilio ſuſcipiuntur, ut aut immodicæ potentiæ cupiditas expleatur, aut aliorum infringatur auctoritas, quæ virtute parta, legitimiſque circumſcripta finibus, civitati ſalutaris eſt? Præſertim cum incepta ejuſmodi vehementius urgeri, longiuſque porrigi

ſo-

ſoleant ; quippe quæ nullum , undecumque ſuppeditatum ſit , adminiculum reſpuunt. Nam qui ducti virtute , bonique communis incorrupto ſtudio, ſuſcipiunt aliquid ; ii multis retinentur , impetumque remittunt animi , qui difficultatum incurrentium ictu quaſi compreſſus , latius viciſſim inſito conatu ſe explicare nititur. Dum enim verentur , ne juſti & æqui prætergrediantur limites, ne re magis urgenda , quam par ſit , excitatæ perturbationes & incommoda ſuperent utilitates ex iis redundaturas civibus , licere ſibi pauciora putant ; neque proſperos eventus eo promovent, quo vis eorum promoveri poſſet , neque tam ex virtute prudenter ad rerum gerendarum naturam applicata , quam ex notione virtutis , ſeorſum ipſa per ſe ſpectata , univerſali & abſoluta , quatenus & quo pacto rerum caſibus uti debeant, æſtimare ſolent. Quo fit , ut interea dum laude moderationis intempeſtivæ allici ſeſe plus æquo ſinunt , a laude prudentiæ ſcientiæque rerum opportunitatis excidant ; & quamquam multa moveant , & progreſſus animo reſpondentes idemtidem iis obveniant , exitum infortunatum habeant , ut in Bruto , Catone minore , ac Dione Plutarchi licet animadvertere.

XV.

XV. Nam Dion, cum virtus & fortuna in ejus poteſtatem redegiſſent Heraclidem, qui ſtatum civitatis corruptum fovebat, impediebatque, mulcenda plebe licentiæ blandimentis, libertatem æquis temperatam aſtrictamque legibus, emiſit aſſentatorem populi, corruptoremque nervorum legitimæ poteſtatis, e manibus; intempeſtive philoſophatus, ubi res non excelſa & magnifica, ſed cauta & ſalubria conſilia poſtulabat. Dum enim ab amicis monebatur, ne parceret improbis ac malignis, ſed plectendos militibus permitteret, extirparetque popularem ambitionem, æque Reipublicæ perniciofam, atque tyrannidem; duces, inquit, alios in armis & bello meditationis ponere conſueviſſe plurimum, ſeſe vero in Academia multum in id incubuiſſe, ſtudiique contuliſſe plurimum, ut invidiam & æmulationem vinceret; ejuſque victoriæ documentum eſſe, ſi ſeſe non moderatum in amicos & bonos, ſed placabilem injuriam inferentibus, & peccantibus lenem præbeat. Velle ſe non tam opibus & prudentia, quam clementia & juſtitia videri ſuperatum Heraclidem; quippe veram in his excellentiam eſſe virtutis, bellicis contra in victoriis a fortuna partem eripi virtuti, ſibique vindicari maximam.

Non

Digitized by Google

Non decere, Dionem inurere virtuti maculam, ſi nequam Heraclides & infidelis ex livore ſit. Nam etſi, juſtius eſſe pœnas expetere injuriæ, quam injuria provocare, lege definitum ſit; utrumque tamen ex eadem imbecillitate naturæ proficiſci. Hominis improbitatem, etſi aſperam, non eſſe tamen adeo moroſam ac feram, ut miteſcere victa crebris beneficiis, & emendari nequeat. Sed umbratilem ſapientiam, & ad eamdem normam quod in privatis injuriis dècorum eſt & civitati ſalutare, res plane diſpares, exigentem exitus improbavit. Nam qui rerum infeſto perturbatore civitatem opportuno tempore, civibuſque probantibus, liberare potuerat; ut is alieno magna cum offenſione populi ſummoveretur, annuit. Quod ægre deinceps ac moleſte ferens, tamquam vitæ rebuſque geſtis aſperſam labem, ſeſe Callippo familiari ſuo facile decipiendum, conjuratiſque opprimendum exhibuit, oppreſſuſque proditori Syracuſas occupandi conceſſit locum.

XVI, Brutus autem, cum & doctrina præceptiſque philoſophiæ mores imbuiſſet ac roboraſſet, & motu negotiorum ſolidam excitaſſet ac lenem indolem, ad virtutem optime comparatus erat. Sed

ea-

eadem hunc, quæ Dionem, ad Remp. applicata non ex uſu rerum ſapientia nimis exquiſita diverſum abſtulit a via, quam ingreſſus inſiſtere debuiſſet. Nam cum omnes, qui conſilii reipublicæ reſtituendæ participes erant, interfecto Cæſare, ſimul Antonium e medio tollendum arbitrarentur, improbum hominem dominandi cupidum, qui multum uſu pollebat apud milites, & conſularem dignitatem ad nativam audaciam ambitionemque tum temporis adjunctam obtinebat; iis obſtitit Brutus, Antoniumque ſervavit, tum juſtitiam obtendens, tum autem mutationis ſpem. Neque enim fore deſperabat, ut ambitioſus vir & gloriæ cupidus, allectus ab ſe virtutis æmulatione, ad libertatem patriæ conniteretur. Verum conjuratis hoſtem objecit gravem ac durum. Quare dominus mutatus eſt, ſublato Cæſare, non extincta ſervitus; quippe cum adverſus Antonium erectus Octavius a ſenatu, libertatem, oppreſſo Antonio, funditus exturbarit, viribus, quæ adverſus alienam potentiam ei commiſſæ fuerant, pro ſua uſus. Quare Tullius Attico (*g*), ne Idus Martiæ

(*g*) Epiſt. 12. ad Attic. l. 14.

tiæ nihil præter lætitiam, & odii pœnam ac doloris dediſſent, vereri ſeſe, ait; & (*b*) rem illam actam animo virili, conſilio puerili; nam regni hæredem relictum. Alia vero ad cumdem epiſtola (*i*), *Quæ quidem*, inquit, *noſtris amicis divinis viris aditum ad cælum dederunt, libertatem populo Romano non dederunt*. Atque ad Brutum ipſum ita ſcribit (*k*): *Magna peſtis erat depulſa per vos; magna populi Romani macula deleta, vobis vero parta divina gloria; ſed inſtrumentum regni delatum ad Lepidum & Antonium, quorum alter inconſtantior, alter impurior, uterque pacem metuens inimicus otio*.

XVII. Cato demum, qui a prima ætate voce vultu luſibuſque mores in omnibus inflexibiles infractos ſtabiles præ ſe tulit, & ad omne genus virtutum afflatu quaſi quodam raptus, juſtitiam præſertim rigidam & inflexam ad benignitatem aut gratiam adamavit; inque caſtris exiguum decus arbitratus explicare ſuam unius virtutem, niſi ceteros redderet ſui ſimiles, ob eamque rem non metum imperio detrahens, ſed rationem adjiciens,

quæ

(*b*) Epiſt. 21. (*i*) Epiſt. 14. (*k*) Epiſt. 15.

quæ doceret ac perſuaderet, honore ac pœna comite; milites eo compulit, ut ſeſe præberent hoſtibus formidabiles, manſuetos ſociis, timidos dedecoris, ad laudem acres. His moribus cum prodeſſe reipublicæ maxime vellet, enixeque contenderet, multa movens promovit nihil, inſtituta ſequutus a ratione temporum abhorrentia; quippe cum inflexa ſeveritas, ubi vi corruptelisque geruntur omnia, non intempeſtiva modo, ſed & odioſa ſit, eorumque robur ac vires augeat, quos infringere inſtituit, obſiſtendo machinis a cupiditate, quæ in civitate dominatum occupavit, diſſentaneis. Quare culpat eum Tullius, quod cum Reſpublica Catonem deſideraret conſulem, in gravitate maluerit morum ſuorum dignitatem retinere, quam amplitudinem adipiſci conſulatus, ipſe per ſe parum ad ambiendum appoſitus, eaque prohibens amicos facere, quibus multitudo capi ducique ſolet; quippe cui certum erat & conſtitutum, aliorum gratia non immutare mores, neque remittere de ſeveritate quidquam, ut cives ad utendum opera ſua ſuiſque conſiliis alliceret. Quo factum eſt, ut neque Cæſaris impendentia libertati conſilia, quæ longe antea prænunciarat, impedire potuerit, inanes in ſenatu conciones oppo-

nens factionibus potentium, & largitionibus, quibus erat corruptus populus; neque Pompejo, cui ut rerum ſumma permitteretur, auctor ſenatui fuerat, uſum, quem decebat, afferre; quippe cum is Catoni fideret, unaque timeret. Nam victo fore ſibi firmiſſimum omnium, victori præſentem non permiſſurum, ut rebus ad nutum uteretur; ſed arma ponere legibuſque obſequi coacturum, prævidebat. Extincto Pompejo, cum ei deferretur imperium, idque non tempora modo, ſed & militum ſtudia poſtularent, & Scipionis temeritas & pervicacia faciendum eſſe perſuadere debuiſſet; negavit convulſurum ſe leges, quarum cauſſa convellentem oppugnarent, neque ſe proprætorem præſente proconſule imperaturum. Quod eventus docuit inconſulte factum, & antea prudentia ſalutiſque publicæ ratio, ne fieret, prohibebant: nam intelligi facile poterat, neque recte bellum adminiſtraturum eum; neque, ſi præter ſpem ſucceſſum habuiſſet, uſurum victoria moderate in cives, quibus jam tam graviter & ſuperbe minitaretur. Rebus demum fractis, cum non tam ſuas maculaturus, quam Cæſaris laudes illuſtraturus eſſet, ſi a Cæſare tuliſſet incolumitatem accipere; fœdum putavit, ab hoſte ſalutem expectare, a

quo

quo permanſiſſet invictus ; immo victor ejus eſſet , nam ſeſe virtute ac juſtitia ſuperare , contra victum captumque Cæſarem , qui jam convictus eorum eſſet , quæ moliri ſeſe jamdudum in patriam inficiatus erat. Quare dum in res turbidas invehere ſapientiam intempeſtivam Cato conatus eſt , auxit eorum potentiam , qui rerum caſibus perturbatis ac temporum uti callide noverant ; uſumque virtutis , qui maximus eſſe potuiſſet , ſi virtutem prudenter ad mores hominum accommodaſſet , omnino ſuſtulit , ab ſeque diſſociavit eos ipſos , quibus favebat : quippe cum ipſe non hominibus , ſed hominum ſtudiis adverſaretur ; illi contra non ſtudia , ſed homines odio proſequerentur , quod immodica cupientes ab iis impediebantur. Ob eamque rem , cum omnia cupiditas adminiſtraret , exquiſita virtus æque omnibus impedimento erat , neque cum hominum conſiliis in civitate permiſceri componique poterat , niſi cupiditas & ſapientia , tamquam extrema duo frontibus adverſis inter ſe pugnantia , longa ſerie quaſi mediorum quorumdam proportionalium a cupiditate ſenſim ad virtutem aſcendentium , inter ſe conciliatæ providenter atque colligatæ non invitæ forent.

XVIII. Quod ſi non adeo congeſtæ undique vi-

res a cupiditate valeant, ut integra & incorrupta conſilia virtutis impediantur, & abrupta concidant, ſed, in anguſtum adducta cupiditate, felicem virtus exitum habeat, impulſoſque manifeſto periculo, vel utilitatis opinione tempori communique conſtitutioni animorum accommodatæ, multos obſecundantes nacta ſit; raro tamen accidit, ut ſeſe tueri diu, manſuraque dignitate & gratia florere queat. Nam cum utilitatem communem, quam ſpectat, ex præceptis ſapientiæ definiat, eoque omnia dirigat, ut ſapientiæ regnum in civitate communiat; gravis eſt ea domina populo, qui diſſimiles utilitates expetit. Quare colitur in periculis, ac tamdiu fautores habet, quamdiu metuendi cauſſa permanet; quippe, ut verbis utar Tullii (*l*), *neſcio quo modo facilius in timore benigni, quam in victoria grati reperimur*. At ſummota neceſſitate, facile deſeri ſolet, objicique calumniantibus, quorum plus aſſentatrix populi multiplex ac verſuta malitia, quam adverſa populo virtus aperta ſimplex & ſincera poteſt; præſertim cum qui ſpectat honeſtum unum, is affectiones, quaſi

(*l*) Epiſt. 15. ad Brutum.

quaſi geſtus animi, variare facile nequeat, & accommodare, quantum uſus poſtulat, ad aliorum mores; at ſeverus ac rigidus immutabilem & in omni vitæ rerumque caſu ſimilem eumdemque ſe præbeat. Quod Dionem, feciſſe narrat Plutarchus (*m*): *De ſeveritate in congreſſibus, & rigore adverſus populum, nihil cnitebatur detrahere vel relaxare, quamvis res ejus civilitatem requirerent, eumque Plato reprehenderet, eique ſcriberet, ſolitudinis pervicaciam contubernalem eſſe. Sed natura videbatur abhorruiſſe a comitate, & Syracuſanos intendere laboraſſe nimis ſolutos ac delicatos.* Quocirca philoſophi conſtantiam & multitudinis levitatem, res diſſociabiles, adhibito nullo communi vinculo recuſantes inter ſe conſociare ſtudent. Quo fit, ut vir moribus integer, incorruptaque vita, etſi maxime dignus honoribus & poteſtate cenſeri debeat, non undique tamen ad alliciendas hominum voluntates & continendas comparatus inſtitutuſque ſit; quippe qui non modo reſpuit auxilium, quod ab humanis affectibus, & bonis expeti ſolitis obtinere poſſet, ſi machinis a na-

(*m*) In Vita Dionis.

Digitized by Google

natura datis uti vellet ; ſed etiam , dum affectus improbat , & irrito conatu vel extirpare , vel ad obruſſam virtutis exigere nimis accurate nititur, vim eorum obſiſtentem auget , & armis ad erumpendum inſtruit . Quare cedat oportet iis , qui callide virtutis imagines , aut virtutis gradus , qui ferri poſſint a multitudine , cum motibus animi , quibus ea ducitur , aliquo fœdere copulare ſciunt , armiſque populi populum adoriuntur ; & ineſcatum commodis ei conſentaneis , ipſum facilem , ac non modo non repugnantem ad inſcendendum , ſed & ultro quaſi ſeſe demittentem habent. Horum igitur honores tum populi voluntate pellecta , tum affectantium aſtu vi roborata, diuturniores eſſe*, quam undique proborum ſolent. Magis enim cum moribus honores deferentium , aut præripi permittentium , mores honoribus affectorum congruunt , cum varii ſint & multiplices , & inconſtantiam multitudinis imitentur.

CA-

CAPVT XII.

Quo conſilio veterum philoſophorum ſententias de vita & moribus ex cujuſque principiis ductas in ſeptimo Ethicæ ſuæ libro expoſuerit.

I. SYſtemata veterum philoſophorum de vita & moribus ex principiis apta cujuſque propriis expoſuimus, ne quæ dicta ſunt a diverſis re convenire putarentur, quia verbis congruunt; quod iis accidit in primis, qui ex conſenſu philoſophorum quidpiam confirmandum ſuſcipiunt, ut in magno Cudvortho videre licet: ſed ex natura principiorum, ex quibus fluunt, definitus eſſet & circumſcriptus ſenſus, qui variorum hominum effatis eiſdem in ſpeciem attribuendus ſit. Nam Deum exempli cauſſa ſequi commune Stoicis erat ac Platonicis: ac ſi quis hæreat in cortice, facile exiſtimabit, eumdem eſſe finem ab utriſque propoſitum homini; verum ſi diſpiciatur quod intus eſt, nihil eſſe diſſimilius intelligetur, quam finem hominis Stoicum ac Platonicum. Nam Deum ſequi Stoicis nihil erat aliud, quam ordini cauſſarum indeclinabili non

Digitized by Google

adverſari ; quodque neceſſario ferendum eſt , & ordo rerum invehit , ultro , conſtanter , alacri animo , ſine perturbatione ferre . Platonicis autem erat , prudentia juſtitia ſanctitate Deo ſimilem effici , qui virtutem quidem non habet , at omni virtute longe præſtat ; veri denique contemplatione , qua fit , ut rebus humanis altius evectus animus aſſidue verſetur in eorum intelligentia , quæ mente dumtaxat attingi poſſunt . Qui cum ejusdem effati ſenſus tam inter ſe diſcrepent , mirum non eſt , ſi conſectaria ducta ſint ex eo tam inter ſe diſſimilia . Nam ex ſenſu Platonico ſequitur , mentem hominis , etſi contendat quantum poteſt ut efficiatur Deo ſimilis , numquam tamen ei ſeſe exæquare poſſe : contra ex ſenſu Stoicorum elicitur , ſapientem , ut ait Seneca (*a*), gaudio plenum , hilarem , placidum , inconcuſſum cum Diis ex pari vivere ; nulla parte meliorem , ut ait Chryſippus apud Stobæum (*b*), optabiliorem , auguſtiorem illam Iovis felicitatem hac humana eſſe ; Iovem , ut ait Sextius apud Senecam (*c*) , plus non poſſe , quam bonum virum ; plu-

(*a*) Epiſt. 59. (*b*) In Eclog. Eth. (*c*) Epiſt. 73.

plura quidem Iovem habere, quæ præſtet, ſed inter duos bonos, non eſſe meliorem, qui locupletior eſt. Quemadmodum ex duobus ſapientibus, qui ſenior deceſſit, hunc non eſſe beatiorem eo, cujus intra paucos annos terminata virtus eſt; ſic Deum non vincere ſapientem felicitate, quamquam ætate vincat. Immo vero quidpiam eſſe dicitur a Seneca (*d*), quo ſapiens antecedat Deum: nam illum naturæ beneficio, non ſuo, ſapientem eſſe; quare magnam rem eſſe imbecillitatem habere hominis, ſecuritatem Dei. Rurſus id etiam eſſe, quo Deum ſapiens antecedat, quod ille extra patientiam, hic ſupra patientiam malorum eſt. Quæ ſi conferantur cum Platonicis, non impia modo, ſed & inſana ſunt: in his veſtigia videas animi tenebricoſis ac turbulentis exhalationibus agitati; videas in illis indicia mentis in puro ſinceroque lumine conſtitutæ, quæ novit, ut ex doctrina Pythagoræ tradit Archytas (*e*), in eo differre a Deo virum bonum, quod ille non tantum ſinceram & omnis humanæ perturbationis expertem virtutem habet, verum etiam tranquillam & li-

(*d*) Epiſt. 53. (*e*) Apud Stobæum in Floril. Serm. 1. de Virtute.

& liberam virtutis facultatem pro factorum æternorum majeſtate & magnificentia poſſidet ; homo vero non tantum pro conditione naturæ humanæ virtute minore fruitur , ſed etiam ei ſæpe neglectu bonorum , conſuetudine , prava natura , cauſſiſque aliis aditus ad veri boni faſtigium interclusus eſt.

II. Porro non modo, quæ vis effatis philoſophorum pro varietate principiorum , e quibus nexa ſunt, attribui debeat , e recenſione ſyſtematum eruitur ; ſed etiam manifeſtum ſit , exhauſtas eſſe a veteribus eas compoſitiones omnes, quas principia ſeu vera ſeu falſa morum rationis humanæ viribus invenienda ſeu fingenda ſuppeditare poſſent. Nam cum in homine quæcumque ſunt, ad mentem , ad ſenſus , ad animum , animique motus, ea referri neceſſe ſit ; tum autem homo , vel per ſe , vel cum aliis conſociatus ſpectari poſſit ; demum proſpici vitæ hominis aut præſenti dumtaxat, aut etiam futuræ, ſi pars ejuſdem nobilior interitura numquam exiſtimetur, & anteactæ vitæ reſpondere vitam ex æquo debere , quæ ſubſecutura ſit , nihil horum relictum a philoſophis intactum eſt. Nam alii mentem unice perficere ſtuduerunt; alii ſenſuum voluptatibus providere; alii ani-

animi ſeu firmitati ſeu tranquillitati conſulere, animique motus ſeu componere, ſeu prorſus evellere; alii ſic ab ſuis ad communia transferre quemque, ut non aliam ob rem de ſe ſollicitus eſſe ſineretur, quam ut ſocietatis utilitatibus & commodis aptius inſervire poſſet; alii abs rebus communibus avocare quemque ad ſuas, ut non aliam ob rem ſocietatem colendam, aut non turbandam ei præciperetur, quam ut ſibi tutius parare præſidium poſſet, ac vita ſecuriore frui. Demum alii eo referre omnia, ut ex ſuo quiſque ſenſu bene beateque vitam agerent, perinde ac ſi nihil ultra metuendum aut ſperandum eſſet; alii, qui fuere pauciſſimi, eo collineare præceptiones ſuas incorruptas expeditaſque, ut animus ex diverſorio corporis defæcatus agiliſque traduceretur ad mundum intelligibilem, qui natale ſolum ac domicilium ſempiternum animorum eſt. Quare nihil aliud poſteriorum curis & cogitationibus reliquerunt, quam ut ab ſe propoſitorum ſyſtematum, quod quiſque ceteris anteferendum, ingenioque ſuo ſive ſincero, ſive præjudiciis infecto magis accommodatum arbitraretur, id ſibi perpoliendum, recoquendum, noviſque coloribus exornandum ſumeret.

III.

III. Ac Saphtesburius quidem illud ex antiquo penu prompſit & excoluit, quod hominem ad hominum conjunctionem dirigit, ac nullam agnoſcit virtutem, quæ non referatur ad ſocietatem; nec quidquam eſſe concedit natura jucundum ac bonum, quam quod ex conſcientia animi præclare de ſocietate meriti proficiſcatur. Quæ dum ingenioſe perſequitur, etſi nonnumquam veri tranſgrediatur ac rationis orbitam, ut ii ſolent, qui feruntur in extremis, ante oculos habuiſſe cenſendus eſt eximium Hippodami Pythagorei (*f*) locum, qui nobis a Stobæo conſervatus eſt (*g*). *Cum ſit homo ſocietatis pars, perfectus ſit, ſi non modo ſocium ſeſe præbeat, ſed & probum ſocium. Nam ſunt quæ in pluribus, non in uno, fieri queant: ſunt rurſus quæ in uno tantum, non in pluribus; ſunt demum, quæ tum in uno, tum in pluribus, ideoque in uno, quoniam & in pluribus. Nam concentus, numerus in pluribus locum habent; quippe cum horum pars nulla ſit, qua totum effici poſſit. Viſus audituſque præſtantia tantum in uno eſt, at felicitas, animique virtus, &* in

(*f*) Ex libro de Felicit. (*g*) Serm. 101. de Felicit.

in uno, & in pluribus, inque toto & univerſo cernitur; ideoque in uno, quoniam in pluribus; ideoque in pluribus, quoniam in toto & univerſo ineſt. Nam & univerſæ naturæ perfectio ſingulas partes perficit; ac rurſus perfectio ſingulorum totum & univerſum explet. Id autem inde fit, quod natura prius eſt parte totum, non toto pars. Nam ſi mundus non ſit, neque ſol, neque luna, neque ſtellæ vagæ inerrânteſque erunt. Sunt autem ſingula, quia mundus eſt. Porro ut ſe totum ad partes, ſic virtus totius ad partis virtutem habet. Siquidem ſine ſanitate animantis neque pes neque manus roboris eſſe poteſt ac valetudinis particeps. Partes autem totius referuntur ad totum ſingulæ. Nam & oculi cernunt cauſſa corporis, & partes reliquæ totius atque univerſi cauſſa conſtitutæ ſunt.

IV. Ex hiſce fundamentis Saphtesburius excitat doctrinam ſuam. Nam libro primo (*b*) præſtruit, ex ipſa natura ſingulorum hominum elucеſcere, non eſſe quemque totum aliquid abſolutum & expletum, ſed partem ſyſtematis ſui generis; ſyſtemata minora partes amplioris; ampliora denique par-

(*b*) Diſquiſit. in Virtutem part. 2. ſect. 2.

partes ampliſſimi & univerſi. Ordinem poſtulare, ut ſyſtema alterum alteri ſubſerviat, & in unoquoque ſyſtemate ſive genere ſingula quidpiam ad incolumitatem generis conferant; in eoque tum ipſorum generum, tum ſingulorum in unoquoque genere bonitatem eſſe conſtitutam. Quamobrem in hominum generis ſyſtemate id natura bonum eſſe dicendum, quod ſocietati prodeſt; tumque ſecundum naturam conſtitutum eſſe animum, cum ſic affectus eſt, ut ad bonum ſyſtematis, quo continetur, ultro deferatur, & abhorreat ab iis, quæ nocere poſſunt. Virtute vero præditum appellari, ſi bono communi conſulat non modo naturali affectione ductus, ſed allectus etiam ipſa rei pulchritudine, quæ mente ac ratione percipitur. Nam in natura, quæ generalium capax notionum eſt, non modo res externas, quæ ſenſibus obverſantur, ſed facta etiam ac ſtudia, quæ ſpectant ad humanitatem, benignitatem, gratum animum, cum ſeſe menti ſiſtunt, & intelligenda offerunt, eamdem ſibi conciliare, ac ſenſu novo afficere; eoque ſenſu reflexo intercedente fieri, ut erga ipſa ſtudia excitetur novum ſtudii genus, eaque diligantur. Demum rebus intelligentia percipiendis id omnino, quod rebus ſenſu attingendis, obvenire.

Nam

Nam ut harum figuræ , motus , colores, partium compoſitiones , cum ſeſe per oculos in animum inferunt apte inter ſe temperatæ , pulchritudinis in animo ſenſum excitant , animumque delectant oblata ſpecie ; ſic juſte benigne comiterque facta venuſtatem quamdam intelligentiæ ſpectandam exhibere , quæ oritur ex conſenſione juſtitiæ , benignitatis , comitatis cum univerſa natura hominum. Quapropter inſignitam in animo ſui notam imprimere , neque pati eum indifferentem eſſe , ſed ſibi benevolum aut invenire aut efficere ; ut nullo modo non probari , non diligi , non affici honore poſſint , ſi ſanus animus ac ſincerus ſit . Quæ de rerum intelligibilium pulchritudine dicta ſunt hactenus , ex Plotini libro de pulchritudine præſertim hauſta ſunt omnia . Cum igitur virtus ſit animi affectio , qua ſit , ut animi propenſiones , conſilia , ſtudia cum bono communi congruant ; nihil fore a virtute alienius, quam amorem cujuſque ſui , quo fit , ut a ſocietate abductus quis ad ſe omnia referat . Quamobrem ita ſuis commodis ſervire , ut ex his quid ad ceteros perventurum ſit , omnino negligatur , hominis eſſe a natura abhorrentis , & in ſyſtemate , cujus pars eſt , incommode perverſeque conſtituti . Nam , qui id faciat , perinde

fa-

ſacere, ac ſi membrum corporis aliorum incolumitati neceſſarium ſuum iis officium deneget; quippe cum non minus homini a natura attributum ſit addictumque boni communis ſtudium, quam concoquere ſtomacho delapſos ex ore cibos, glandulis excernere ſuccos varios, pulmonibus aerem ducere ac reddere.

V. His conſtitutis auctor deinceps in eo totus eſt, ut oſtendat, quo tandem pacto tum affectiones, quæ vergunt ad commune bonum, tum quæ bono cujuſque proſpiciunt, apte inter ſe componi debeant, ne nimis illæ infirmæ ac debiles, hæ contra nimis vehementes ſint. Nam aliis conſulere recte poſſe neminem, qui ſeſe prorſus negligat; iccirco vero de ſe cuique curam habendam, ut ceteris utilis eſſe queat. Demum eum infelicem eſſe, qui ſtudeat uni ſibi, ſuæque voluptati præſidium undique comparet; hominiſque felicitatem in eo verſari, ut optime de omnibus merendi ſtudio incenſus ſit. Nam cum voluptates animi puriores ac diuturniores ſint corporis voluptatibus, eas ex benigne juſte fortiterque factis uberiores amplioreſque percipi. Non enim ſolum ex animi recte conſtituti conſcientia fundi, ſed etiam ex prædicatione communi bonorumque omnium approbatione ac laudibus augeri multiplicatas.

CA-

CAPUT XIII.

Philebi, Platonis Dialogi, qui de voluptate eſt, Epitome.

I. LIbrum Ethicorum decimum explicaturo, qui de voluptate ac vita beata eſt, nihil ſe mihi potius objecit, a quo rem auſpicer, quam eximia Platonis & elaborata ſumma induſtria diſputatione, quæ de voluptate ac ſummo bono inſcribi ſolet. Hujus enim objectamenti comprehenſa paucis & continuata ſeries id utilitatis afferre poteſt, ut in uno conſpectu poſita multa videri poſſint; & qua ratione rerum abditarum inveſtigatio inſtitui oporteat; quam incertæ confuſæque ſententiæ de voluptate fuerint, antequam ejus a Platone formæ variæ ac multiplices evolverentur; & quæ natura voluptatis univerſæ ſit, quæ ſint ejus ſpecies, quam diſſimilem ortum habeant, & in bonorum ſyſtemate qui tributus a natura ſit cuique gradus.

II. In Dialogo, qui Philebus inſcribitur, res eſt Socrati cum Philebo adoleſcente cupiditatibus implicito ſenſuum ambitu circumſcriptis, & e

ſchola ſophiſtarum emiſſo Protarcho, qui more ſectæ, qua fuerat inſtitutus, inſcius elementorum, ex quibus apta rei definitio efficitur, magis errore mentis, quam animi perverſitate, a vero & bono abducebatur. Ac cum in quæſtione de voluptate cupiditatis æſtus inquirendæ veritati pertinacius obſit quam inſcientia, propterea Plato, miſſo Philebo, qui contendebat obſtinato offirmatoque animo voluptatem ſummum animantibus omnibus eſſe bonum, eamque opinionem ab ſe umquam extorqueri poſſe pernegabat, diſputantem inducit Socratem cum Protarcho, qui continuationem ordinemque notionum a Socrate propoſitarum ſequi conſtantius & incorruptius æſtimare poterat; quippe qui magis inopia principiorum, quam ulla corrupta cupiditate, a recta veraque ſententia diſtinebatur. Qua in re ſe maxime prodit exquiſita prudentia, qua vario delectu perſonarum uti Plato ſolet pro varia Socrati objecta diſſerendi cauſſa. Cum enim in actum educat Socratem, ut opiniones aut evellat inſitas, aut novas inſerat; aut reflectat devios, aut arrogantes reprimat, aut ingenuos excitet ad ſapientiam; aut ſapientiæ recludat abditos ac remotos ab intelligentia populari ſenſus; eapropter urbano ſapientique ſeni non

omne

omne hominum , quibuscum ſermocinetur , objicit indiſcriminatim genus ; ſed, obſervata decori lege, liberales adoleſcentes, aut viros graves , aut pervicaces elatoſque diſputatores , aut ex horum ludo profectos & inaniis imbutos juvenes , aut bonorum uſu receptorum illecebris allectos abductoſque homines. Quo fit , ut quod eſt in dramate præcipuum , ſententiarum atque dictorum convenientia , rerumque in ſcenam afferendarum ad affectiones animi perſonarum accommodatio , nullo in poeta , quam in Platone , pulchrius accuratiuſque ſeſe viſendam offerat.

III. Cum itaque controverſia de voluptate duplex impedimentum in Philebo nanciſceretur, quorum alterum inſcitia mentis , alterum impotentia animi objiciebatur ; iccirco ſermonis , qui antea cum Philebo habitus a Platone innuitur , is exitus fuit , ut opinioni quiſque ſuæ mordicus adhæreret , ac Philebus gaudium , voluptatem , oblectationem , & quæ ſunt hujus generis , extremum bonorum eſſe præfracte contenderet ; Socrati vero ſapere , intelligere , meminiſſe, & , quæ ſunt his cognata , recta opinio , & ratiocinationes veræ voluptate meliores iis omnibus , qui harum participes eſſe poſſunt , eiſdemque maximas

utilitates afferre videri pergerent. Quare Protarcho aſſumpto, eoque certamen non detrectante, Socrates, qui eo nitebatur, ut certi quidpiam definiret de bonorum gradibus, & voluptatem eo contentam eſſe gradu cogeret, quam ipſi natura non opinio cæca tribueret; iccirco quid uterque ſibi propoſitum eſſe velit in diſputando quærit, & aſſentientem Protarchum habet, id utrique propoſitum eſſe conſilium, ut eam affectionem animi proferre conetur, quæ tribuere poſſit hominibus æque omnibus vitam beatam. Atque cum affectionem hanc eſſe τοῦ χαίρειν Protarchi ſecta contenderet, Socrates autem eſſe τοῦ φρονεῖν affirmaſſet antea generatim, ubi res minus accuratam definitionem poſtulabat, quippe voluptati de gradu ſummo dejiciendæ ſatis erat ſi voluptate præſtantius quidpiam oſtenderetur; modo Socrates, cui rem univerſam complecti conſtitutum eſt, huc animum intentum habens, ea lege communi conſenſu pugnandum ait, ut ſi qua affectio præſtantior utraque comperta fuerit, confiteatur uterque depelli ſe quidem a felicitate, quam ille in voluptate, ipſe in ſapientia poſitam opinantur; at ſi affectio, quæ ſe dederit in conſpectum, voluptati cognatior appareat, a volu-

pta

Digitized by Google

ptate ſapientiam ſuperari ; ſin ſapientiæ , vinci a ſapientia voluptatem.

IV. Præſtitutis his , quæ diſputationis limites & progreſſum conſtituunt & adumbrant , ex interiore natura voluptatis efficitur a Socrate , voluptatem abeſſe longius a boni finibus. Itaque voluptatem eſſe varium quiddam & multiplex ; ac licet unum quid eſſe videatur , ſi nomen ſpectetur , re tamen formas habere omnigenas , & contrarias inter ſe quodammodo : quippe cum temperans & intemperans , ſapiens & inſipiens affici voluptate vulgo dicantur , quæ plane diſſimilis eſt in affectione animi plane diſſimili.

V. Quæ cum facile diſturbari poſſe Protarchus exiſtimaret , ſi reponeret , non voluptates inter ſe , ſed res , ex quibus exiſtunt , eſſe contrarias ; nihil enim eſſe voluptate voluptati ſimilius ; ea contendi cauſſa poſſe , reſpondet Socrates , neque colorem eſſe colori , nec figuræ figuram diſſimilem. Verum etſi color omnis omniſque figura ſint unum genere , tamen partes ſubjectas generi alias contrarias , alias plane diverſas eſſe. Voluptates autem voluptatibus eſſe contrarias , ex eo patere , quod aliæ bonæ ſint , aliæ contra malæ. Regerente vero Protarcho , numquam ab illo concedi

 id

id poſſe, qui voluptatem eſſe bonum ſtatuat, neque voluptates inter ſe diſſimiles eſſe, quatenus voluptates; inſtat Socrates, ea ratione concludi omnia poſſe, tametſi maxime repugnantia, ſi diſſimillimum diſſimillimo ſimillimum eſſe concedatur. Nam ab ſe, qui ſtatuerat initio ſapientiam & intelligentiam eſſe bonum ei, qui ſcientias & multas & diſſimiles & contrarias afferat, æquo jure reſponderi poſſe, non eſſe ſcientiæ ſcientiam diſſimilem; eamque viam evadendi prorſus imperiti ſtultique ratiocinatoris ab eo, qui contra ſentiret, exiſtimatum iri. Quare partium eſſe deponendum ab utroque ſtudium, neque contendendum, ut ſive jure ſive injuria quæ ſentiet alteruter, ea primas teneant; ſed ei, quod veriſſimum ſit, ab utroque collatis viribus auxilium opemque ferri oportere.

VI. Miſſa itaque velitatione, quæ ſophiſticæ ſcholæ diſcipuli turbavit imperitiam, oſtenditque, nihil ab eo ſani expectari ſolidique poſſe, qui nulla notione certa & ordinata imbutus ab ſe reſponderi apte putat, ſi confuſi quidpiam obtrudat magis ad inanem oſtentationem ac fucum faciendum imperitis, quam ad rem evolvendam accommodatum; idearum doctrinam, quæ fons eſt in-

cor-

corruptæ germanæque ſcientiæ, Socrates aggreditur, ut quæ de bono bonique gradibus dicenda ſunt, ea duce perſequatur & inveniat. Quæ cum doctrina prorſus hoſpes eſſet inter vulgares philoſophos, neque paratos inſtructoſque animos ad intelligendam vim ſuam omnem nanciſci poſſet; obtecta proponitur a Socrate forma illa & ſpecie, quæ tametſi pugnare ſecum ipſa videatur, tamen poſtquam in Eleatica ſchola prodiiſſet, doctorum circulos pervagata erat, exedriſque ſæpe conſederat. Ait enim, eſſe mutuo conſenſu firmandum ſermonem, qui turbare conſuevit homines, aſſeritque, unum multa eſſe, & multa unum. Protarchus cum uſu protrita vulgares inter philoſophos ea de re diſceptantes obtrudi repetique arbitraretur, & eo ſenſu dici, quo compoſitum quidpiam unum dicitur, ſi totum ipſum; & multa ſi partes, quibus conſtat, in cenſum veniant, quæ tamquam puerilia, ſalebraſque diſputanti creantia, prorſus abjicienda ferebantur & obſoleverant; inconſideratam Socrates & alienam abs re Protarchi notionem corrigens ait, unum illud, de quo ſermo ab ſe inſtitutus eſt, non eſſe quærendum inter compoſita, quæ oriuntur & intereunt, verum de uno illo intelligendum eſſe, quo

dicitur unus homo, pulchrum unum, unumque bonum. Qua in re primo quæri oportere, num eſſe revera quaſdam τοιαύτας μονάδας exiſtimandum ſit: ſecundo quo pacto ſingulæ una ſint eademque ſemper, experſque ortus & interitus, ac ſimul unum id, quod firmum & conſtans eſt, aliiſque firmitatem atque ſtabilitatem tribuit: poſtremo num in iis, quæ gignuntur & infinita ſunt, diviſa & facta ex una multiplex, an tota ſeorſum in ſingulis ponenda ſit; quod abhorrere maxime videtur a populari ſenſu, idem nimirum & unum in uno ſimul & multis eſſe.

VII. Quia vero non omnis explicanda natura tunc idearum erat, ſed id ſolum, quod ad earum uſum in perveſtiganda veritate pertinebat; ideo ſubſiſtit in primo capite, reque ipſa formas eſſe quaſdam & ſpecies oſtendit, in quas intueri mens debeat. Vnum igitur & multa, ſua ſingula ratione genita, pervagari omnia, de quibus internus externuſve ſermo inſtituitur; idque neque nunc incepiſſe, neque deſiturum umquam; ſed inſitam quamdam ac numquam ſeneſcentem rationum harum affectionem & impreſſionem in nobis eſſe; quam qui guſtarit adoleſcens, tamquam ſapientiæ theſaurum nactus, præ voluptate geſtit,

ac

ac modo diverſa congerit in unum quiddam, modo unum evolvit & in partes tribuit. Vnam hanc eſſe veritatis aſſequendæ viam, quam explicare quidem non admodum difficile ſit, uſu vero pertractare difficillimum; ejuſque beneficio compertum eſſe quidquid arti cognatum hactenus umquam fuit. A diis eſſe datam & impertitam, & a priſcis hominibus, qui diis propiores erant, ad poſteros tranſmiſſam prædicantibus ex uno & multis eſſe, quæ ſemper eſſe dicuntur, inque ſemetipſis inſitum habere finitum & infinitum. Quæ cum ita ordinata ſint, ipſe per ſemetipſum legem ſtatuit, quæ Platonicæ diſciplinæ fundamentum eſt, jubetque ſemper in omni re perveſtigandam unam ideam; quæ numquam inveſtigantem fugiet ac latebit. Vna comperta, quærendas eſſe porro duas; tres, aut certum alium quemdam numerum; & quod in his ſingulis unum eſt, eſſe ſimiliter dividendum, quouſque intelligatur, non modo unum initio poſitum, unum & multa & infinita eſſe, verum etiam quot & qualia multa ejuſmodi & infinita ſint: neque ideam infiniti prius adjungendam ad multitudinem eſſe, quam inter unum & infinitum interjectus numerus multitudinis exploratus ſit. Quo explorato, tum demum unum,

quod

quod eſt in omnibus, in infinitum abire ſinendum atque dimittendum eſſe, ſecus atque ſophiſtarum mos erat, qui ſapientes haberi vulgo cœperant. Nam unum temere ponebant, & multa citius aut tardius quam par erat, & poſt unum infinita continuo ſtatuebant, mediis prætermiſſis. Summum genus eſt univerſale primumque unum; ei ſubjectæ ſpecies, interjecta multitudo ſunt inter unum & infinitum; individua ſingularia, quorum nullus eſt certus numerus, infinita ſunt, ad quæ cum deventum eſt, tum demum inquiſitio conquieſcit. Quod eo recidit, ut ſummum ac primum genus, eique ſubjectæ ſpecies, quæ naturam unius referunt, ac, niſi rite definitæ ſint, neque definitio neque diviſio prorſus obtineri poſſunt, definiantur: hujuſque rationis & viæ luculentum a Platone exemplum in Politico allatum eſt; cum is dialogus in eo maxime verſetur, ut artium atque ſcientiarum ſeries explicata oculis exhibeatur. Hic autem indicatur ea res exemplo ſonorum, & corporis motuum. Vox enim una ſimul & infinita eſt, ejuſque ſonum gravem, acutum, & æquitonum qui non diſtinguat, etſi muſicæ prorſus imperitus ſit, non iccirco tamen peritus eſt qui tantum id noverit. At peritus erit

qui

qui perceperit, quot & qualia ſint intervalla vocis, & intervallorum terminos, & ſyſtematum numerum, quæ ex intervallis fiunt; inque geſtibus corporis inditas affectiones alias ejuſmodi, quæ numeris demenſæ rhythmi & metra appellatæ ſunt. Has inveſtigari agnoſcique debere: ſecus enim infinitum ſingulorum, & in ſingulis multitudo hominem efficit intelligendi, ratiocinandi, numerandique imperitum, quippe qui mente nulla in re certum ullum numerum aſſecutus ſit. Sicut autem, objecto uno, non continuo reſpiciendum eſt ad infiniti naturam, ſed ad numerum aliquem; ita ſi contra initio oblatum infinitum eſt, non in unum continuo, ſed in aliquem numerum, qui multitudinem aliquam habeat, intendenda mens, eoque perſpecto, tum eſſe ex omnibus in unum demum deſinendum; ut is fecit, qui primus, ſive homo ſive Deus quis, in voce infinita litteras vocales, liquidas, mutas diſtinxit; ſingularum numerum definivit, omneſque & ſingulas communi vocabulo elementa appellavit: & cum videret, ne unum quidem ipſum per ſe percepturum quemquam, qui non omnia perciperet, arti, quæ una omnia complecteretur, Grammaticæ nomen indidit.

VIII. Cum, ea quorſum evaderent, Philebus a So-

a Socrate quæreret, & quid ad rem propoſitam faceret, jamdiu ab ſe & Protarcho expectari diceret; imperitiam utriuſque Socrates occulte carpens, ab utroque reſpondet id jam tum quærendum eſſe, cum diſputationis initio de voluptate & prudentia ſermo inſtitutus, & utra eſſet eligenda perveſtigari cœptum eſt. Nam cum unum quiddam eſſe utraque diceretur, inveſtigari continuo debuiſſe, quo pacto unum eſſet & multa ſimul utraque; & quo pacto non infinita continuo ponenda ſint, ſed numero aliquo certo comprehendenda, antequam in infinitum abeuntia dimittantur.

IX. Protarchus nunc demum intelligens, eſſe quæſtioni primæ ſecundam implicitam, ideoque rem magnæ indaginis eſſe, quam antea facilem & expeditam arbitrabatur, quærendum enim eſſe, num voluptatis & prudentiæ ſpecies plures ſint, tum quot & quales; iccirco neque ſe reſpondendo parem futurum proſpicit, neque ab alterutro non reſponderi probro vacare putat. Itaque rogat Socratem, ut, abjecto interrogandi reſpondendique more, ſermone non abrupto plane explicet, quid in rebus humanis optimum ſit. Neque enim eſſe diſputationis inſtitutæ finem dubitationum laqueis audientes involvere, quem Socratis eſſe mo-

rem

rem ait interrogationes cumulantis, quibus interrogati ſunt reſpondendo impares. Eorum enim in cenſu ſeſe collocat, qui ſuam agnoſcunt imbecillitatem, quo nihil eſt a ſophiſtarum vanitate remotius, neque ad diſcendum aptius. Quare pulchrum ait eſſe cordato viro noſſe omnia; ſecundam autem eſſe navigationem ſi quis non ignoret ſemetipſum.

X. Socratès igitur, diſcendi cupidum & aptum ad diſcendum auditorem nactus, rem non ut ante refutandi cauſſa principiis obliquis uſus turbat, ſed ex directis explicat, univerſamque reſerat. Proponit initio neque voluptatem, ut Protarchus & Philebus contendebant; neque prudentiam, quam ipſe turbaturus utrumque voluptati opponebat; ſed aliud quiddam, & utraque melius eſſe ſummum bonum. Quod ut evinci poſſit, aſſentiente Protarcho, ſtatuit, boni conditionem eſſe perfectiſſimam abſolutiſſimamque omnium, ipſumque bonum ſatis eſſe ſibimetipſi; quo fit, ut qui norit ipſum, invicte expetat, & quæ nihil ad illud explendum conferant, omnino negligat. Quo ex loco patet, Socratem Platonis, aut ipſum Platonem ea ſpecie tectum, induci non ſemper Scepticum, ſed & aliquando Dogmaticum. Nam Tullius, etſi aſſerat Platonis in libris nihil

affirmari (*a*), & in utramque partem multa diſſeri, de omnibus quæri, neque certi afferri quidquam; alibi tamen eum ait (*b*) reliquiſſe perfectiſſimam diſciplinam, Peripateticos & Academicos, nominibus differentes, re congruentes. Quæ prima fronte pugnantia conciliandi viam Varburtonus (*c*) expeditam obtulit: duplicem enim in Platone perſonam eſſe ſpectandam ait; nam conſiderandum eſſe tamquam Socratis diſcipulum, & Xenocratis Ariſtoteliſque magiſtrum, & veteris Academiæ conditorem. Diſcipulum Socratis eſſe ſcepticum, Academiæ vero conditorem eſſe dogmaticum; cum Tullius ipſe nihil inter Peripateticos & Academiam illam veterem differre doceat. Ex ea duplici perſona non animadverſa fluxiſſe vir doctus ait, ut & veteres in definiendo charactere Platonis abierint in diverſa; cum, ut eſt apud Laertium (*d*) & Empyricum (*e*), eum alii Dogmaticis, alii Scepticis adnumerarent; & recentibus in explicando Tullio aqua hæſerit. Immo res eo adducta fuit, ut, niſi depravaretur emen-

(*a*) Academic. Quæſtion. lib. 1. (*b*) Ibidem l. 2.
(*c*) In Divina Moſis Legation. l. 3. ſect. 3.
(*d*) Lib. 3. ſegm. 51. (*e*) Lib. 1. c. 33.

emendatione falſa quod optime ſcriptum eſt, intelligi, ſanumque ſenſum habere non poſſe, exiſtimatum ſit. Ad illud enim in Officiis (*f*), *Noſtra legens non multum a Peripateticis diſſidentia, quoniam utrique & Socratici & Platonici eſſe volumus*, obſervat Grævius: *Qui dicere poteſt, ſe utrumque eſſe voluiſſe Platonicum & Socraticum, perinde eſt ac ſi ſcripſiſſet, utrumque ſe velle eſſe, Peripateticum & Ariſtotelicum*. Quæ cum abſurda ſint, eſſe Stoicos a Socraticis deturbatos reſtituendos, perſuaſum illi eſt. At Plato non alienus modo, ſed & ſuus eſt. Dum perſonam agit alienam, nihil affirmat ipſe, refutat alios; dum ſuam, aperte docet ac decernit.

XI. Ea natura conſtituta boni, quaſi ſigno quo collineandum eſt, primo ſeorſum voluptariam, tum prudentem expendit vitam, ut aperte perſpiciatur, in neutra boni conditiones antea poſitas inveniri. Atque vitam voluptariam omni prudentia deſtitutam examinans oſtendit, nullo genere maximarum voluptatum humani animi appetendi vim exæquari, ſed expetenda multa ſupe-

pe-

(*f*) Lib. 1. ſub init.

pereſſe, quibus ablatis ne voluptas quidem omnino percipi poteſt. Supereſſe cupiditatem intelligendi, ratiocinandi, atque his affinium, aut omnino perſpiciendi quidpiam. Quæ cum non concederet Protarchus, quippe cum habeat omnia qui voluptatem habet; id evincit ex eo Socrates, quod ipſa voluptas iis adjumentis egeat, eaque neceſſario deſideret. Nam qui mente caret, ignoret oportere ipſum hoc, an gaudeat. Qui memoria deſtitutus eſt, ei neceſſario obventurum, ut neque recordetur, an umquam antea voluptatem ullam ceperit; atque, ſi qua præſens adſit, eam adſuiſſe e veſtigio recordaturus ſit. Qui rectæ opinionis atque ratiocinationis expers eſt, eum neque opinari gaudere ſe dum gaudet, neque conjectura aſſequi poſſe quo pacto deinceps gaviſurus ſit. Quæ profecto vita non hominis eſſe, ſed oſtreorum, a Protarcho ſponte conceditur. Quod voluptati accidit, ut ipſa ſibi non ſufficiat, ablata mente ac prudentia, id evenire menti ac prudentiæ, dempta voluptate, paucis efficit. Neque enim quemquam eam vitam optaturum, quæ cum rerum omnium ſcientiam ac memoriam in poteſtate habeat, ab omni undique voluptate disjuncta ſit. Si neutrum vitæ genus ſeorſum ab alte-

tero vitam beatam explet, proximum erit, ut expendatur, an ex utroque mixta media quædam id præſtare poſſit; & mens ne cognatior ac ſimilior quam voluptas ei ſit, quod vitam mixtam expetendam ac bonam efficit.

XII. Vt autem ratio mixtionis eniteat, eorum, quæ ſunt in univerſo, aliud infinitum, aliud finitum, aliud ex utroque commixtum ait. Quartum autem genus addendum eſſe, quo cauſſa commixtionis mutuæ continetur. Ac finitum & infinitum in multa divulſum ac diſperſum eſſe, quæ rurſus ad unum adducenda ſunt; ut frigidius atque calidius infinita eſſe. Nam magis aut minus, dum in iis ineſt, ea finem habere nullo pacto ſinit. Quod vehementer ac remiſſe pronunciatur eamdem habere vim, quam magis & minus habent, nam ubi ſunt, haud ſinunt eſſe quantum unumquodque: nam ſi non delerent quantum, ſed ipſum atque moderatum enaſci ſinerent in ea ſede, quam occuparant; iſta e regione, in qua inerant, extemplo diffugerent, quippe quæ, ſuſcepto quanto, neque calidiora eſſe, neque frigidiora, neque vehementiora, neque remiſſiora poſſent. Non enim conſiſtit umquam, ſed uſque progreditur calidius atque frigidius; quantum au-

tem perſtat & progredi deſiit. Quidquid itaque magis & minus ſuſcipit, calidius, frigidius, ſiccius, humidius, tardius, velocius, majus, minus, ad infiniti genus, tamquam ad unum, eſſe redigenda omnia. Quæ vero contraria ſuſcipiunt, ut æquale & æqualitatem, tum autem duplum, & quæ referuntur ad ſe invicem, ut numerus ad numerum, & menſura ad menſuram, omnia finiti genere contineri. Ad finiti naturam pertinere pariter æqualis ac dupli ſobolem, & quæcumque perficiendi vim habent, ut inter ſe pugnare contraria deſinant; ipſaque reddens dimenſa & conſona numerum efficit. Ex progenie finiti cum infiniti natura permixta γενέσεις oriri multiplices; quippe cum utriuſque recta inter ſe communio in morbis ſanitatem, in tardo ac celeri, acuto & gravi infinitis, indita finiti natura, perfectionem omnem harmonicam; in calore & frigore, ſublato nimio, menſuram & commenſum pariet. Ex eadem apta permixtione temperiem anni, pulchra demum omnia, conjunctum cum ſanitate robur in corpore, virtutes in animo ingenerari; petulantia ſiquidem univerſaque improbitas, quibus voluptatis nullus ineſt expletioniſque terminus, a natura finiti modum & ordinem

nem terminumque habent, quo non infici & extenuari, ut ajebat Philebus, ſed expoliri ſervarique voluptatem aſſerit. Cum hæc a Protarcho ſic intelligerentur, ut aliquid in iis, quæ tertio generi ſubjicienda ſint, relinqueretur ſcrupuli, rem paucis expediens Socrates generatim ait, progeniem omnem, quæ referatur ad genus tertium, eſſe γένεσιν εἰς οὐσίαν *generationem in eſſentiam*, ſeu quidquid ita gignitur, ut naturam certam habeat ex menſuris termino definitis. Quæ vero gignuntur, ab aliqua cauſſa gigni neceſſario debere omnia, & unum idemque eſſe cauſſam, & quod efficiens eſt, etſi nomine diſcrepent. Porro cauſſam eſſe natura priorem eo, quod efficitur, & cauſſæ ſervit εἰς γένεσιν. Quare tribus poſitis, nimirum iis, quæ gignuntur, & iis, ex quibus gignuntur omnia, quartum eſſe ponendum opificem univerſorum. Itaque genus primum eſſe ἄπειρον; ſecundum πέρας; tertium οὐσίαν, quæ gignitur ex duobus; quartum mixtionis & generationis αἰτίαν. His enucleatis, expeditum & facile intellectu eſt, vitam ex voluptate & ſapientia mixtam, quæ utrique ſimpliciter anteferenda viſa jam erat, partem eſſe tertii generis; mixtam enim ex infinitis omnibus eſſe termino colligatis; nam voluptas plus

ac minus ſuſcipit: immo Philebus id eſſe neceſſario ſibi concedendum ait, quippe cum voluptas eſſe non poſſet omne bonum, niſi multitudine ſimul & intenſione infinita ſuapte natura eſſet; quare infiniti genere continetur. Sapientiam autem ac mentem in quo genere poni oporteret, cum Philebus ignoraret, & Protarchus reſpondere non auderet; ut id oſtendat Socrates, aſſentiente Protarcho, ſtatuit a majoribus eſſe vere pronunciatum, univerſum hoc adminiſtrari non experte rationis aliqua poteſtate, ſed mente quadam & ſapientia admirabili ordinatum regi; dignamque ſole, luna, ſideribus, eorumque motibus, ejus eſſe ſententiam, qui aſſerat, exornari a mente omnia. Atque ut cujuſque corpus decerptum eſt ex mundi corpore, quo continentur elementa ſincera magis & incorrupta; ſic mentem eſſe progeniem cauſſæ, quæ peperit & continet omnia: quo fit, ut in quo genere ponenda ſit, a Protarcho dubitari nequeat; mentem enim eſſe cauſſæ cognatam, ejuſdemque pene cum ea generis; cum voluptas ex adverſo infinita ſit, ejuſque generis, quod principio, medio, fine ſuapte natura caret.

XIII. Quia vero definienda natura voluptatis eſt, ex qua recte cum ſapientia commixta vita me-

media effloreſcat, varias voluptatis ſpecies enumerat & expendit, ut quæ vera, quæ pura, quæ ſincera ſit, ubi perſpectum fuerit, in qua mixtione quæri bonum debeat, agnoſcatur. Naturam itaque voluptatis & originem evoluturus expendit id primo genus, quod antecedentem dolorem ſequitur, & ſeorſum a dolore ſatis examinari non poſſe dicitur. Nam harmonia ſoluta in animata ſpecie, ex infinito ac termino mixta, dolor; reſtituta vero, voluptas oritur; ideoque naturæ corruptio, dolor; regreſſus autem ad naturam, voluptas eſt. Genus alterum voluptatis ac doloris eſt animi proprium, affectionum ejuſmodi expectatio jucunda quidem & animoſa, quæ voluptaria; triſtis autem & formidoloſa, quæ moleſta antecedit. Affectio tertia quædam animantis eſt, cum neque corrumpitur in eo quidquam, neque reſtituitur, ideoque dolore pariter ac voluptate caret, qualis eſt ejus affectio, qui contemplationis vitam eligit. Genus autem voluptatum animi proprium omne memoria conſtare ait; memoriam autem eſſe conſervationem ſenſus, ac ſenſum motum eſſe, qui fit in paſſione communi corporis atque animi; quippe corporis paſſiones aliæ prius extinguuntur, quam transfluant in animum; aliæ

per utrumque diffuſæ quamdam utrique concuſſionem inferunt. Ex memoria porro cupiditatem oriri; quo fit, ut eorum, quæ patitur, contrarium quid appetat qui vacuus & exhauſtus eſt, nam impleri cupit. At id appetere non poteſt corpus, cum exhauſtum ſit, neque ſibimetipſi contrarium eſſe poſſit. Reliquum eſt igitur, ut appetat animus intercedente memoria, quæ paſſionibus eſt contraria corporis; ob eamque rem animi proprius eſt omnis conatus & cupiditas. Rurſus in vacuitatis & expletionis medio conſtitutum hominem dolere ſimul ac lætari; nam vacuum angi, lætari vero ſpe repletionis: ſin autem deſperet, oriri paſſionem circa dolores duplicem. Ex his efficit, voluptates ac moleſtias alias eſſe veras, alias falſas, quemadmodum timores, expectationes, opiniones aliæ veræ ſunt, aliæ falſæ. Cui cum Protarchus aſſentiri detrectaret, cum ne dormientibus quidem neque furentibus accidat, ut lætari ſe credant, ac non lætentur; a Socrate multis eo adigitur, ut manus det. Nam ut qui opinatur aliquid, etſi revera quidpiam opinetur, falſo tamen opinari poteſt; quia quemadmodum ut vera ſit opinio, non opinio tantum, ſed qualis quædam eſſe opinio debet, cum eſſe de

re

re una multæ variæque poſſint; ſic etiam ſi quis reapſe gaudeat, gaudere falſo poteſt, quia voluptas pariter, ut vera ſit, eſſe debet qualis quædam; cum magna, parva, remiſſa, vehemens eſſe poſſit; cui ſi pravitas accedat, prava ut opinio, ſic etiam voluptas erit. Atque cum ſæpe voluptas ex opinione non vera, ſed falſa nobis oriatur, eſſe falſa poteſt. Quod cum nondum Protarchus confiteri vellet, id extorquet ab eo Socrates, ut fateatur, intereſſe multum inter voluptates, quæ rectam opinionem ac ſcientiam, & voluptates, quæ falſam opinionem & inſcitiam conſequuntur. Porro cum ex ſenſu & memoria pendeat opinio, & ipſum opinari poſſe, ſenſus autem falli poſſit, & memoria rerum falſas imagines conſervare; neque ſolum id præſentibus ac præteritis, ſed etiam futuris accidat, quippe picturæ animis imprimi poſſunt rerum etiam futurarum; voluptates autem ipſius animi propriæ, voluptates corporis antecedant, cum is ob futura prægaudere queat; ex his efficit Socrates, non minus voluptates, quam opiniones, eſſe poſſe falſas; atque ut falſo quis opinatur, cum id opinatur, quod neque fuit, neque umquam erit, ſic falſo lætari, cum quis ob ea lætatur, quæ nuſquam aut fuerunt, aut ſunt, aut erunt.

XIV. Præterea cum ſine paſſionibus animi paſſione corpus occupari poſſit, interea dum quæ dicuntur cupiditates in nobis ſeorſum inſunt, & animus appetat contrarium corporis habitum, corpus autem dolorem excipiat, ideoque voluptates ac dolores, & eorum ſenſus, quæ ſunt contraria, ſimul conveniant; tum autem voluptas ac dolor quod magis & quod minus eſt ſuſcipiant; quod accidit in magnitudinibus, quæ cominus aut eminus aſpiciuntur; ut oculi varia poſitio deleat veritatem, etiam in voluptate ac dolore accidit, ſi dolor cum dolore, voluptas cum voluptate, cum voluptate conferatur dolor; nam voluptas cum dolore collata major videtur, ac dolor cum voluptate minor. Quamobrem ea pars, quæ, cum non ſit, apparet, apparere falſo dicenda eſt, neque pars eſſe voluptatis ac moleſtiæ vera poteſt.

XV. Demum eo Socrates tandem evadit, ut occaſione capta ex eorum ſententia, qui rerum naturam optime callere crediti voluptates eſſe negabant, & quæ a Philebi aſſeclis appellabantur voluptates, omnes eſſe effugia dolorum contendebant, atque tum gaudere ſe dicebant, cum omnis eſſet ablata dolendi cauſſa; oſtendat ex eo in depravatione tum animi tum corporis voluptates eſ-

eſſe poſitas, quæ maximæ vehementiſſimæque cenſeri vulgo ſolent. Nam eas eſſe voluptates acriores, quarum acriores cupiditates ſunt; cupiditates autem acriores ſunt ejus, quo magis quis indiget; affecti vero morbis homines indigent magis; quare non in ſanitate, ſed in morbo, conſtitutas eſſe voluptates vehementiſſimas & acerrimas, & ex voluptate ac dolore, vel æquali utroque, vel alterutro ſuperante mixtas: quod ex iis probat, quæ in communibus corporis paſſionibus extrinſecus intrinſecuſque miſcentur, tum ex iis, quæ miſcentur in animo, tum ex iis demum, quæ ipſe in ſe ipſo ſuſcipit animus. Nam iram timorem deſiderium æmulationem invidiam eſſe dolores quoſdam animi, miris quibuſdam voluptatibus implicitos: quem voluptatis ac doloris congreſſum in animo cum ipſæ tragœdiæ comœdiæque patefaciant, explicat in invidia fuſe Socrates, qua fit, ut non modo in fabulis, ſed in univerſæ vitæ tragœdia comœdiaque voluptates doloribus immiſceantur. Invidiam enim in amicis pariter habere locum. Quod ut evincat, animadvertit, eſſe commune malum inſcitiam rerum ſuarum ac ſui; ſibique plus, quam deceat, opinione falſa arrogare homines in iis, quæ ad externa, ad corpus animique do-

dotes pertinent. Atque ſi qui ſibi plus arrogant, in his, quæ ſibi arrogant, robuſti ſint; odioſos eſſe, cum proximis noxii ſint, ſin imbecilles, haberi & eſſe ridiculos. Nihil autem accidere crebrius in congreſſionibus hominum, quam amicos videre, qui cum imbecilli ſint, ſapientiæ pulchritudiniſque ſibi plus arrogant. Riſum autem eſſe lætitiam, ignorantiam malum, lætitiam ex alieno malo ab invidia proficiſci, quæ triſtitia quædam eſt. Quare voluptatem ac dolorem inter ſe miſceri in uſu vitæ quotidiano.

XVI. Cum hactenus & animum ſine corpore, & corpus ſine animo, & utrumque ſimul in perturbationibus voluptatis ac doloris implicari poſſe demonſtrarit Socrates, ad immixtas ac puras voluptates animum applicat. Neque enim voluptatem omnem eſſe dolorum ſedationem, etſi pleræque videantur eſſe voluptates, neque ſint; aliæ magnæ videantur & multæ, quæ mixtæ triſtitiæ ſunt & ingentium dolorum ſedationibus. Puras autem voluptates eſſe, quæ capiuntur ex pulchris coloribus, figuris, ſonis, & ex iis, in quibus defectus eſt quidem, ſed non ſentitur nec lædit; impletio vero ſuavis eſt, & ſentitur, ac dolore vacat. Pulchra autem intelligit ea, quæ ſunt ſua-

pte

pte natura pulchra ſemper , ac voluptates inſitas & a motuum oblectationibus abhorrentes habent. Ad has adjungit voluptates diſciplinarum , quæ doloris expertes ſunt. Purum autem ac ſincerum quod appellat , a maximo & plurimo longe differre monet. Quare voluptatem omnem ſeu magnam ſeu parvam , ſeu paucam ſeu multam , ſi dolore careat , ſuaviorem eſſe , veriorem , & pulchriorem , quemadmodum album illud eſt pulcherrimum , quod ita ſincerum eſt , ut nihil alterius coloris immixtum habeat.

XVII. Conſtitutis generibus voluptatis , ut in quo gradu bonorum collocanda ſit, definiri poſſit, eam eſſe voluptatis indolem , animadvertit Socrates, ut ejus generatio ſemper , eſſentia vero numquam omnino ſit. Eſſentiam eſſe quod ipſum per ſe eſt , generationem autem ſemper quiddam aliud appetentem. Alterum ſemper eſſe propter aliud; alterum id eſſe , cujus gratia fit quod eſt propter aliud. Voluptatem igitur , cum generatio ſit, ad aliam referri , quam boni ſortem, oportere; cum id ſit in boni ſorte poſitum, cujus gratia fit quod eſt propter aliud. Præterea cum generatio corruptionem involvat , ab eo , qui amat quod gignitur ſemper ac numquam eſt , expeti corruptio-

nem,

nem, non vitam illam tertiam, quæ lætitia quidem ac triſtitia caret, at intelligentiæ compos eſt, quæ maxime pura ac ſincera poteſt: & abſurdum eſſe, cum nullibi, præterquam in animo, bonum ſit, in eo voluptatem unam bonum exiſtimare; fortitudinem autem, temperantiam, intelligentiam, & alia, quæ bona ſortitus eſt animus, e boni delere cenſu penitus; hominemque voluptatis expertem, affectumque dolore, dum dolet, arbitrari malum, etſi ſit optimus; voluptatibus autem delinitum, quo geſtit & furit magis, eo præſtantiorem virtute dicere.

XVIII. Etſi vero ſcientia bono propior quam voluptas ſit, in illa æque tamen ac in voluptate varios eſſe puritatis atque ſinceritatis gradus. Nam artibus, quæ imaginatione, ſenſuum experientia, & exercitatione conjecturiſque nituntur, ut obſcuritatem plurimam, ita ſtabilitatem minimam admixtam eſſe. Numerandi contra, metiendi, ponderandique peritiam, ut evidentiæ, ſic firmitatis habere plurimum. Numerandi artem intelligit non vulgarium, ſed philoſophorum; nam a vulgaribus unitates inæquales adhiberi, eiſque minima pariter & maxima deſignari. Quamquam autem veritate atque ſinceritate maxime præſtent aliis

ar-

artibus numerorum & menſurarum ſcientiæ, multæque facultates aliæ, quæ ſunt harum comites; tamen eſſe longe veriſſimam omnium cognitionem eam, quæ verſatur in eo, quod eſt, & vere eſt, & ſemper eodem modo ſe habet; quippe quæ non invitos ſed volentes animos hominum ſibi ſubjectos habet, & artium omnium optima eſt atque utiliſſima. Obſtrepente Protarcho ex mente Gorgiæ, perſuadendi facultatem artibus antecellere longe omnibus, id non agi nunc, reponit Socrates, ut ſtatuatur, quid in artibus maximum optimum & utiliſſimum, ſed quid perſpicuum ſincerum ac veriſſimum ſit; atque præſtantiam utilitatis, aut in vulgus commendationis arti Gorgiæ concedi poſſe, veritatis autem excellentiam ei tribui oportere facultati, quæ ſempiterna contemplatur, eamque vim explet animi, quæ ut natura ſua veritatis amans eſt, ſic ejus gratia cuncta movet & agit. Atque ut firmum purum verum ſincerum vel eſt in eo, quod eodem ſemper modo ſe habet, eſtque ſimpliciſſimum, vel ei maxime cognatum eſt; cetera vero omnia ſecunda cenſeri debent; ita, quæ in eo verſatur, intelligentiam, eximio mentis & ſapientiæ nomine debere inſigniri.

XIX.

XIX. Inveſtigatis expenſiſque voluptatis generibus & ſcientiæ, tum autem ſinceritatis ac veritatis gradibus, quibus abſunt a genere principe quæque ſuo partes utrique ſubjectæ generi diſſimiles ac multiformes; reliquum erat, ut Socrates ad voluptatis & ſcientiæ mixtionem inter ſe congruentem, & mixti ſuique primo conſervatricem accederet. Quidquid enim ex diſparatis coagmentatum ſit, ob eamque rem inſita principia diſſolutionis habeat, cum permanere diu non poſſit, a natura boni longius abeſt, quam ut ejus eſſe progenies, ab eoque participare poſſit. Quoniam igitur ipſa per ſe voluptas & ſcientia ſeorſum eſſe non poſſunt, & haberi perfectum id & omnibus expetendum, & undique bonum, quod in faſtigio ſummoque loco natura ſuapte conſtitutum eſt; eapropter ut inveniatur, quid in ſecundo gradu ponendum ſit, eſſe perſpectum ait oportere vel ipſum bonum, vel aliquam boni ſpeciem & imaginem. Atque cum boni domicilium in vita non ſimplici, ſed mixta, poſitum eſſe demonſtratum ſit, domum compertam ad habitatorem inveniendum afferre plurimum adjumenti poſſe monet. Nam ſi bonum in mixto eſt, in eo ſeſe manifeſtius illuſtriuſque videndum offeret, quod

pul-

pulchre mixtum eſt. Itaque cum voluptates & ſcientiæ ſinceriores aliis aliæ verioreſque ſint, non omnis voluptas cum omni ſcientia miſceri poteſt. Quippe quod ad ſcientias attinet, quarum alteræ contemplantur ea, quæ gignuntur & intereunt, alteræ ſempiterna, quæ vere ſunt eademque perpetuo, portiones utriuſque veriſſimæ commiſceantur oportere tradit. Neque enim ſapienti conſultum ſatis ad vitæ humanæ commoditates, ſi circuli ſphæræque divinæ rationem exploratam habeat, humanam autem ſphæram hanc ignoret, & circulos hos humanos, arteſque innocuas ac vitæ utiles. Quare non modo norit oportet, quid ipſa juſtitia ſit, & rationem intelligentiæ comitem habeat, & reliqua omnia, quæ ſunt, æque calleat; ſed etiam artibus iis inſtructum & expolitum eſſe prodeſt, quæ tametſi conjecturis, exercitatione, ſenſuum experientia nitantur & egeant, opportunitates humanæ ſocietati plurimas afferunt. Quippe ſcientiis aliis, etſi deterioribus, lædi non poteſt is, qui primis ac potioribus imbutus omnino ſit. Quod autem ad voluptates attinet, admittendas eas eſſe primo, quæ veræ ac ſinceræ ſunt, & menti ac ſcientiæ familiares atque domeſticæ; tum autem eas adhiberi poſſe, quæ

cum

cum ſanitate ac temperantia ſponte conjunguntur, & virtutis univerſæ quaſi famulæ ſunt ac pediſſequæ. Ex dementia vero fuſas, & cum alia pravitate conjunctas, abſurdum eſſe ſi menti ſapientiæque admiſceat is, qui temperiem concordem intueri velit, & intelligere, quid in homine atque univerſo natura ſuapte bonum ſit. Nam ut voluptas omni ſcientia adjuvatur & exporrigitur, cum ex omni digna homine libero cognitione pura quædam oblectatio effloreſcat; ſic mens & ſapientia voluptate omni acerrima nimiiſque motibus implicata perturbantur, & impeditæ latent. Sic enim a Socrate interrogatæ reſpondentes inducuntur: *Quo pacto feramus, eſſe nobis contubernales voluptates eas, quæ multa nobis impedimenta afferunt? Nam motibus turbulentis animos agitant, quos incolimus, neque nos in ortu ipſo repreſſas erumpere ſinunt & adoleſcere, neque ſobolem noſtram augeri ac perfici; ſed, injecta ſocordia, immiſſaque oblivione plerumque corrumpunt ac prorſus obruunt.*

XX. Comperto genere voluptatis, quod apte cum mente ac ſcientia miſceri decet, in boni veſtibulo ſeſe jam demum inſiſtere Protarchus, indicante Socrate, intelligit; ac ſi præterea perſpi-

ſpiciatur, quid in mixtione præcipuum, & cauſſa ſit, cur ea conſtitutio pergrata ſit omnibus, perſpectum iri, num id voluptati cognatius, an menti ſtatui debeat. Cauſſam autem eſſe bonum, quod ſi conſequi non omnino licet, una tantum idea trium ambitu circumſcribi comprehendique poſſe tradit. Has autem eſſe pulchritudinem ſymmetriam ac veritatem (*g*). Nam ſi qua mixtio, menſuræ naturæque commenſus expers ſit, ea tum mixta, tum ſe ipſam perdit; non enim temperies poſſidentibus eſt, ſed intemperata calamitas. Modus autem & commenſus ubique virtus & pulchritudo ſit. Cui demum veritas non admiſcetur, id vere neque ſit umquam, neque factum eſt.

(*g*) *Omnis mixtio, ſi recte fiat, his tribus indiget, pulchritudine, veritate, ſymmetria. Neque enim, ſi turpe quidpiam irrepſerit, mixtionis rectam rationem præbet, cum immoderatæ & inordinatæ cupiditatis cauſſa ſit; neque ſegregata veritas ex puris & vere poſſeſſis commixtionem fieri ſinit; ſed inani ſimulacro, & eo, quod non eſt, replet ipſum totum; neque ſine ſymmetria communio conjunctioque congruens elementorum erit. Opus eſt igitur ſymmetria quidem ad eorum, quæ commiſcentur, unionem & conſenſionem aptam, veritate ad puritatem, pulchritudine ad ordinem, quod & ipſum totum amandum efficit. Nam ex eo quod in mixtione convenientem unumquodque locum & elementa habeant, ſit, ut quod ex ipſis ordinatum eſt, pulchrum appareat. Symmetria itaque cauſſa mixto eſt ut ſit unum; veritas, ut vere ſit, pulchritudo ut mente percipi poſſit, ac perceptum ſit*. Proclus in Theolog. Platon. l. 3. c. 11.

XXI. Veritati vero, menſuræ, pulchritudini propiorem eſſe mentem, quam voluptatem, animum etiam oſcitanter adhibenti patet. Mens enim aut ipſa veritas eſt, aut veritati ſimillima; voluptas autem cæca præceps inconſiderata, præſertim ea, cui pejeranti ſolere a Diis ignoſci dictum eſt, intelligentiæ nimirum & conſilii prorſus impoti. Porro ſi menſura ſpectetur, nihil ut mente ac ſcientia moderatius, ſic immoderatius eſſe voluptate conſtat. Demum quod ſpectat ad pulchritudinem, nemo umquam mentem ac ſapientiam deformem vidit aut finxit; voluptates autem propter aut levitatem, aut habentem offenſionis plurimum turpitudinem, os efferre non audent, ac latebris deliteſcunt. Quare voluptati neque primum eſſe locum, neque vero ſecundum a natura datum; ſed in ſummo poſitam eſſe menſuram & moderatum, & quidquid naturam eſt ſempiternam nactum: in ſecundo quod ad menſuram exactum & pulchrum & perfectum & ſufficiens eſt; in tertio mentem & ſapientiam; in quarto quæ ſunt animi propria, nempe ſcientias, artes, opiniòneſque rectas, cum bono cognatæ magis, quam voluptas, ſint; in quinto voluptates a dolore ſegregatas ac ſinceras, quæ

pu-

puræ ſunt ipſius animi ſcientiæ ſenſibus interpoſitis excitatæ. Reliquas autem voluptates, quæ dolorum ſedationibus admixtæ ſunt, & in depravatione magis, quam in ſanitate, locum habent, extra cenſum bonorum ejicit; quippe cum ortum antegreſſæ corruptioni naturæ debeant, ac, ſi non ſolutus in animante concentus ſit, non modo nihil habeant, quo veræ voluptatis imitentur ſpeciem, ſed ne ſtirpem quidem, ex qua fundantur, & qua fuſæ nitantur, invenire poſſint.

XXII. Vt autem ſcientia bono propior, quam voluptas, in Philebo a Socrate demonſtrata eſt, ſic in Protagora rerum omnium humanarum eſſe potentiſſima dicitur, & in homine dominari; neque ſi bona non agat animus, id a voluptate ſeu dolore ſuperante, ſed ab inſcitia proficiſci. Scientiam enim eſſe quiddam robuſtum, & ad regendum imperandumque natum; & alienum a vero prorſus eſſe, quod vulgo fertur, ſuperatos voluptatibus homines optima recuſare, quæ norunt, & aſſequendi poteſtatem habent; idque refellit ipſis ita ſentientium principiis uſus. Nam etſi voluptate prior ſit natura boni, quæ ipſa per ſe eſt, antequam referatur ad voluptatem ex boni communicatione fuſam, ob eamque rem aliud bonum,

aliud voluptas ſit, itemque malum, ac dolor; tamen qui voluptate ſeu dolore victos homines a bonis amoveri aſſerunt, ideo ſolum jucundum aliquid eſſe concedunt non bonum, quia dolores in poſterum acerbiores afferre ſolet; injucundum autem bonum, quia voluptates ex eo ſuaviores eductæ conſecuturæ ſunt; eoque tandem recidunt, ut exiſtiment, aliud nihil eſſe bonum quam voluptatem, ac malum quam dolorem. At ineptum eſſe, reponit Socrates, qui ſtatuat explorata & perſpecta bona quempiam ab ſe rejicere voluptate victum. Nam ſi quis voluptate victus bonum recuſet, ac malum ſuſcipiat, perinde eſt ac ſi bonum reſpuat bono victus, & bono victus malum eligat, cum idem voluptas ac bonum eſſe ponantur, alterumque alteri ſubſtitui poſſit. Quod quidem abſurdum eſt. At ſi bonum aut malum a bono vincitur, ab eo vincitur, a quo vinci non æquum eſt. Secus enim haud erraſſet is, qui dicitur a voluptate victus. Iniquum autem eſſe ſuperari non alia cauſſa poteſt, quam quod majora a minoribus ſuperata ſunt. Quare ſuperari nihil eſt aliud, quam mala majora ſeu dolores, bonis minoribus ſeu voluptatibus anteferre. Si quis autem inter ſe longe differre voluptatem ac moleſtiam præſentes

& fu-

& futuras regerat ; non alia re differre poſſe, quam ipſa voluptate ac moleſtia, reſpondet Socrates : quo fit, ut a prudente rerum æſtimatore, tamquam a ponderandi perito, voluptates ac moleſtiæ, ſive propinquæ ſive remotæ ſint, expendi trutina collectæ debeant ; ac ſi voluptaria cum voluptariis comparata majora eligantur, moleſta cum moleſtis minora ; voluptaria comparata cum moleſtis, ſi ſuperent, admitti ; ſi ſuperentur, omnino repudiari. Id igitur obtingere voluptati ac moleſtiæ, quod magnitudini cominus eminuſque viſæ, cum & ipſæ longinquiores eſſe propioreſque poſſint. Vt autem ad æſtimandam magnitudinem arte metiendi, ſic ad expendendam voluptatem opus eſt vi quadam analoga. Nam ars metiendi ſpeciem offuſam oculis a varia poſitione variam eluens, expeditam ab omni fallacia veramque magnitudinem oculis animoque perſpiciendam exhibet. Itaque cum in recto voluptatis ac doloris uſu, ſeu pluris & paucioris, majoris & minoris, propinquioris & remotioris delectu magnum vitæ poſitum momentum ſit ; vis exceſſus ac defectus & æqualitatis conſideratrix haud eſſe alia quam ſcientia poteſt, quæ vi ſuapte pollet plurimum, obtinetque, cum adeſt, imperium

in voluptatem ac reliqua omnia. Cum ergo dicitur voluptas etiam ſcienti dominari, id imperiti ratiocinatoris eſſe; nam inopia ſcientiæ peccant ii, qui peccant in electione voluptatum ac dolorum. Quare ſuperari a voluptate nihil eſt aliud quam inſcitia maxima, ac falſas opiniones habere, fallique in magni momenti rebus ac decipi: atque ut ſe ipſo inferiorem eſſe nihil eſt aliud quam inſcitia, ſic eſſe ſe ipſo ſuperiorem nihil aliud, quam ſapientia eſt.

CAPVT XIV.

Cur Ariſtoteles, cum libro Ethicorum ſeptimo fuſe de voluptate diſputaverit, de eadem libro decimo rurſus diſſerat.

I. CVm in libris ſuperioribus Ariſtoteles affectiones animi, ſeu virtutes explanarit, quarum eſt in vita civili permagnus uſus, quippe quæ multiplex officiorum genus inter ſe hominum adminiſtrant, aut homines ad ea præſtanda paratos inſtructoſque reddunt; libro ultimo de voluptate ac vita beata ſibi diſſerendum eſſe cenſuit. Cur autem a Philoſopho lo-

locus fuerit voluptati datus, cum ea de re fuſe libro ſeptimo diſputatum ſit, interpretes inter ſe magna in varietate ac diſſenſione conſtituti ſunt. Nam haud aliam ab ſe cauſſam inveniri Giphanius aperte confitetur, quam quod in libris, qui extant Ariſtotelis, eadem inculcari ſæpe ſoleant. Barbeyracius in Præfatione, qua philoſophorum antiquorum ſyſtemata de vita regenda, tuendaque ſocietate, contracta exhibet, ut iis impoſitum a Puſendorfio de Iure naturæ & gentium elaboratum opus altius efferatur, & illuſtrius eniteat, raptim ac tamquam in tranſcurſu diſputationem ait inſtaurari de voluptate, latiuſque porrigi, quam antea factum ab eo ſit; agi poſtremo de felicitate, duplicemque conſtitui, alteram in actione poſitam, alteram in contemplatione, præſtantem illam quidem, ſed hanc præſtantiſſimam.

II. Iacobus Thomaſius, qui tabulis quibuſdam univerſam in actione poſitam complexus doctrinam eſt, id eveniſſe Ariſtoteli libro ſeptimo dicendum arbitratur, quod iis accidiſſe monet, qui voluptatem ipſius animi cenſuerunt eſſe ſummum bonum, ac pervidere diſcrimen haud potuerunt inter actionem ac voluptatem, quarum inter ſe conjunctiſſimæ naturæ ſunt. Quod aperte capi-

te quinto fit, ubi voluptates functionibus implicitæ dicuntur, atque ita indiſtinctæ, ut anſa detur ad dubitandum, num idem omnino functio voluptaſque ſint. At abſurdum eſſe mentis ac ſenſus functiones eſſe voluptatem, etſi, quia non ſejunguntur, idem eſſe nonnulli putent. Quocirca δευτέρας φροντίδας Ariſtoteli fuiſſe neceſſarias, ac diligentius retractandum quod ab eo confuſum antea relictum erat. Zuingerus, homo ſollers, acutus, & in perveſtigando curioſus, enucleandoque ſollicitus quidquid ab Ariſtotele non expreſſum modo, ſed & leviter adumbratum eſt, amandatas ad librum decimum ait eſſe tractationis reliquias: atque cum amicitiam ac voluptatem accidentia vitæ ethicæ nominaſſet, accidens alterum ex duobus, quod abſoluto de amicitia ſermone reliquum erat, eo libro pertractari; tum autem extremam apponi manum doctrinæ de fine, ſeu vita beata, quæ tamquam fundamentum univerſæ diſputationis ex ordinis analytici natura fuerat initio propoſita, repetique debuiſſe dicitur ex ejuſdem ordinis analytici legibus a Thomaſio, qui nihil in Ethicis, præter doctrinam de fine, ſeu ſummo bono, contineri ſtatuit; eoque diſtingui a politicis ethica, quod iſta de fine agant, illa de ſubjecto & me-

Digitized by Google

mediis, de civitate nimirum ac legibus. Nam etſi virtutes, de quibus in Ethicis actum eſt a Philoſopho, media quodammodo ſummi boni ſint; tamen ab analytica methodo longe alia media poſtulari, quam quæ finis expreſſe comprehenſa definitione ſunt; ejuſmodi nempe, quæ medicamentis ægro corpori præſcribi ſolitis ex altera parte reſpondeant, ut Averroes in explanatione librorum Platonis de Republica animadvertit, ubi ſcientiæ de rebus humanis univerſæ partem ethicam, ait, ea ſeſe ratione habere ad politicam, qua libri ſanitatis ægritudiniſque naturam inveſtigantes ſe ad libros habent, qui de tuenda valetudine, curandiſque morbis inſcripti ſunt.

III. At Euſtratius, aut, ut alii, Michael Epheſius, id ab Ariſtotele tradit eſſe libro decimo ſuſceptum conſilium, ut exponat quiſnam verus homo ſit, hominique vero quæ vita conveniat; ea nempe quæ mente conſtat, & proprie vereque felicitas appellari poteſt. Nam cum felix duplex ſit; alter civilis, qui bonis etiam externis eget, ut operari ſine impedimento poſſit; alter addictus unice rerum contemplationi, quæ vere ſunt; ac de civili multa libris ſuperioribus diſputata ſint, addicto contemplationi poſtremum eſſe reſervatum.

At cum civilis felicitas actio animi ex virtute cum voluptate, ſeu non ſine voluptate, definita ſit; multo magis intelligenti vitæ voluptatem eſſe penitus implicatam oportere. Nam ſi voluptas honeſtis actionibus adhæreſcit, quo præſtantior eſt actione contemplatio, voluptatem eo præſtantiorem functionum optimæ comitem eſſe debere, mentique conſtanter adeſſe rebus occupatæ, quæ ſola intelligentia teneri poſſunt. Quoniam itaque mentis etiam a ſenſibus abductæ occupatio particeps voluptatis eſt, ex eo neceſſe fuiſſe efficit, ut antea quæreretur a Philoſopho de voluptate, quid & quale ſit. Ex quibus intelligitur, ideo præſertim Ariſtoteli fuiſſe naturæ voluptatis inveſtigationem inſtituendam, ejuſque varios pro varia natura facultatum, & adſcripto vario cuique munere diſtinguendos gradus, ut oſtenderetur, eſſe vitæ propriam in intelligendo poſitæ voluptatem hominis excellentiæ congruentem in primis, ac ſinceram, ſtabilem, animo cognatam, eique penitus inditam.

IV. At Ariſtoteles de voluptate luculentius enucleatiuſque diſſerit, quam adjuncta vitæ rerum excellentiſſimarum contemplationi deditæ ſocia poſtulare videbatur. Quamobrem exiſtimari poteſt Phi-

Philoſophus, antequam Ethicæ doctrinæ diſputationem emitteret e manibus, ei coronidem impoſiturus aliorum de ſummo bono, ſeu vita beata, ſententias inter ſe maxime diſcrepantes expendendas ſuſcepiſſe, ne dum videbantur adverſari ſuæ, bonum hominis in actione virtuti conſentanea ponenti, fucum facerent imprudentibus, neque lateret quod in iis confuſum erat, ſed evolutum promeretur, ut inſpici ſtatuique poſſet, quid hominis univerſæ naturæ conſentiens, aut alienum; quid ex æquo reſpondens, aut præſtantius imperfectiuſve ſit, quam ea poſcat ac ferat. Extremæ vero de bono ſententiæ fuerunt eorum propriæ, qui nihil eſſe aliud hominem, quam aut ſenſum aut mentem opinati ſunt, ideoque bonum illi voluptatis, hi ſcientiæ finibus terminabant, ac vitam homini ſive deteriorem humana ſive præſtantiorem attribuebant; nam ut voluptuoſa vita ceteris animantibus communis eſt, ſic vita, quæ verſatur in contemplatione rerum, ab Ariſtotele (*a*) dicitur eſſe excellentior quam hominis natura ferat; cum qui vivit eo pacto, vi-

(*a*) Cap. 7.

Digitized by Google

vivat non qua homo eſt, ſed qua divinum quiddam in eo ineſt. Extremis hiſce includitur quidquid a philoſophis de fine hominis excogitatum aut fictum fuit. Nam alii voluptatem a ſenſibus craſſioribus traduxerunt ad ſubtiliores, & ad imaginandi facultatem animique functiones porrexere; alii ſegregarunt ab omni jucundo motu in ſenſibus, ipſaque moleſtiæ vacuitate circumſcripſerunt; alii ductam ex mentis, animi, ſenſuumque conſtitutione optima ſecundum naturam amplexi ſunt; alii demum ab ſui ſenſu, quo ſibi quiſque maxime aſtringitur, aliquanto digreſſi, rerumque motibus humanarum excitati, earumque ſplendore delectati, eſſe præclaram cenſuerunt & eximiam oblectationem eam, quæ manat ex pulchre factis, & ex conſiliis funditur ad amplificandam ornandamque ac tuendam ſocietatem hominum accommodatis. Perinde autem ut res, ex quibus voluptas redundabat, aut illuſtres erant, aut ſalutares, aut in multo labore poſitæ, aut e communibus hominum ſtudiis, & cupiditatibus uſu probatis evectæ altius; harum inſigni lateque fuſa ſpecie voluptatis iis implicitæ inobſcurari forma cœpit: quo factum eſt, ut voluptatis nomen ad oblectamenta corporis amandatum, eiſque

con-

conſenſu multitudinis confirmatum ſit. Nam, ut monet Ariſtoteles (*b*), ad voluptates corporis nominis venit hæreditas; cum ſeſe plerumque homines ad corporis voluptates applicent, harumque ſint omnes participes, & quia ſolæ notæ vulgo ſunt, ſolæ putentur eſſe voluptates.

IN-

(*b*) L. 7. c. 14.

Digitized by Google

I N D E X

Eorum, quæ in hoc Volumine continentur.

PRæfatio. Pag. III

LVCVBRATIONVM ETHICARVM

LIBER SINGVLARIS.

CAP. I. Quo pacto opiniones bonorum & malorum, ſemel in animum illatæ, in eo penitus inſideant ac dominentur. 3

CAP. II. De Intelligentia. 12

CAP. III. Præfatio in ſecundum Ethicæ ſuæ librum. 25

CAP. IV. Alia in eumdem librum Præfatio. 35

CAP. V. Qua ratione adoleſcentibus conſulendum, ut eorum voluntas ad honeſta paretur. 47

CAP. VI. De Senſu Morali. 60

CAP. VII. Eloquentiam minime valere ad cupiditatum vim coercendam. 90

CAP. VIII. An vir beatus, boniſque omnibus affluens, amicis egeat. 99

CAP. IX. Commodius eſſe vulgarem ac mediocrem, quam perfectam undique amicitiam quærere. 113

CAP. X. Oblato Lyſidis Platonici conſpectu, demonſtratur quid in eo dialogo ſibi Plato propoſuerit, & inania Serrani commenta exploduntur. 124

CAP. XI. Quam multæ vitiorum ac virtutum formæ ex voluptatis aut exiſtimationis ſtudio, opibuſque earum alterutri vel utrique addictis efflorescant. 150

CAP. XII. Quo conſilio veterum philoſophorum ſententias de vita & moribus ex cujuſque principiis ductas in ſeptimo Ethicæ ſuæ libro expoſuerit. 183

CAP. XIII. Philebi, Platonis Dialogi, qui de voluptate eſt, Epitome. 193

CAP. XIV. Cur Ariſtoteles, cum libro Ethicorum ſeptimo fuſe de voluptate diſputaverit, de eadem libro decimo rurſus diſſerat. 230

NOI

NOI

RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del *P. F. Gio: Tommaſo Maſcheroni* Inquiſitor General del Santo Offizio di Venezia nel Libro intitolato *Opere varie di Giacopo Stellini C. R. S. Volume quarto MS.* non v'eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario noſtro, niente contro Principi, e buoni Coſtumi, concediamo Licenza a *Giovambatiſta Penada* Stampator di Padova, che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di ſtampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.
Dat. li 20. Settembre 1782.

(Andrea Querini Riformator.

(Niccolo' Barbarigo Riformator.

(Alvise Contarini 2.do C.r Proc. Rif.

Regiſtrato in Libro a Carte 58. al Num. 559.

Daviddc Marcheſini Segr.

NUO-

Digitized by Google

NUOVI ASSOCIATI.

CIVIDALE DEL FRIULI.

MA R. Sig. D. Franceſco Peruſini.

P A D O V A.

Nob. Sig. Giuſeppe Savioli.

U D I N E.

Nob. Sig. Co. Ab. Antonſaverio di Panigai (per la 2. Copia)
Nob. Sig. Co. Enrico Zucchi.

V E N E Z I A.

Sig. Niccolò Coletti Librajo.

S. VITO DEL TAGLIAMENTO.

Nob. Sig. Ab. Giovanni Annoniani.
Nob. Sig. Paolo Andrea Molini.

Digitized by Google

ERRORI.	CORREZIONI.
Pag. 20. l. 10. prodidit.	prodidit:
44. l. 13. preſente quod optimum eſt	præſente, quod optimum eſt,
56. l. 7. IV.	V.
108. l. 22. fluit.	fluit:
126. l. 13. paleſtram	palæſtram

Digitized by Google

IN PADOVA

NELLA STAMPERIA PENADA

MDCCLXXXIII.

ADDI' V. FEBBRAJO.

08521

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google